IN MVTILVM

NEOPHYTI PRESBYTERI

TITVLVM

COMMENTARIVS.



NEAPOLI MDCCLXX.

APVD FRATRES SIMONIOS


Publica Facultate.

CAROLINAE AVSTRIACAE

VTRIVSQVE SICILIAE, AC HIER. &c.

REGINAE

PIAE FELICI AVGVSTAE.



ON dubito plerosque id mihi crimini daturos, Regina Optima, ac Felicissima, quod brevem hanc Diatribam Musa-

rum ingratiis, ac tumultuarie compactam, qualem privati homines excipere vix dignarentur, gravissimo Nomini Tuo nuncupare non erubuerim. Verum ita factum oportuit. Nam praeterquamquod quicumque in hoc Ephebeo, quasi Regio in Horto nascuntur flosculi, non nisi Regio Nomini omni jure debentur; tum vero meae rationes id unice efflagitare videbantur. Nimirum cum tenui huic Commentariolo neque ab rerum pondere, neque ab auctoris ingenio, aut certe ab ipsa libelli crassitudine existimationem ullo pacto conciliare me posse considerem; eo deveniendum fuit, ut ab Augusto saltim inscripto Tuo Nomine

ne maximum ei decus apud Lectores exiſteret; ut quos videlicet ab interiori Diatriba repellit commentantis infantia, Auguſta certe frontis Majeſtas veluti alliceret, atque invitaret. Quod ſi Chriſtianum ipſum Diatribae argumentum ſpectes, nulli certe convenientius, quam Tibi ſiſti poterat, quae, ſicut ſolent Reges ſapientiſſimos adminiſtros in conſilium adhibere, uti publicis rationibus tempeſtive proſpiciant; ita Chriſtianam Pietatem de Tuo latere numquam diſcedere pateris, de cujus ſententia univerſa deliberes; eaque ad aures diu noctuque inſuſurrante, ea pacis conſilia inis, quibus ſubditae gentes ſuis com-

modis

modis tamquam de Caelo delapſam intueantur. Quid plura? Neophytus ipſe, cujus gratia integra haec inſtituitur commentatio, ad publicae lucis uſuram evadens, Te unam prae ceteris egregiam habere eſt viſus, cui ſe, ac ſua omnia otioſe permitteret. Ecquid enim eſt, quod cum ab tertio ineunte Chriſtiano ſaeculo in imis terrae viſceribus ſubſederit, atque ſiluerit, Te vix in Italiam adventante, caput e terra extollere properarit? niſi quod tum demum proſilire e re ſua duxit, cum praeſentiſſimam rerum ſuarum Patronam nanciſci eſt viſus, cujus fidei, ac clientelae ſe totum manciparet. Quod vero in ipſo ad-

ven-

ventus Tui die id non praeſtiterit, cave ei negligentiae vertas: nempe ſiniſtra ex parte mancus Auguſtiſſimam Reginam adire tamdiu, pro eo ac par erat, diſtrahendum exiſtimavit, quoad eum medica manus in integrum reſtitueret, & commentario praeterea augeret; quo veluti ornatiore habitu & in publicum prodire, & ſe Tibi ſiſtere ſaltim non erubeſceret. Tu vero, REGINA CLEMENTISSIMA, quoniam inter innumeras, quibus circumfluis, animi dotes principem ſibi locum (aliarum pace hoc dicam) vindicare videtur Humanitas; hoc qualecumque demum eſt reculae, non modo aequi bonique ducas, ſed & ejus

aucto-

auctorem, ac Regium hoc Ephebeum universum in Tuum patrocinium adsciscere pro Tua indulgentia ne graveris. Nostrae interim erunt partes sollicitis precibus Superos fatigare, ut Te, ac FERDINANDVM IV. PIVM, FELICEM, AVGVSTVM ad utriusque Regni beatitatem de nostris etiam annis diutissime servent; &, quod unum publicae privataeque omnium felicitati restat, innumera Te faciant, ac lepida Prole beatissimam. Neap. ex Regio Ephebeo, Idibus Ianuariis 1770.

MAIESTATI TVAE

Devotiss., atq. Addictiss.
Cajetanus Migliore.



IN MVTILVM

NEOPHYTI PRESBYTERI

TITVLVM

COMMENTARIVS.

I. LItteratum marmor, quod ſuperioribus Kalendis Septembribus (1) prope Tuſculum (2) forte fortuna eſt erutum, licet ſiniſtra ex parte mutilum; digniſſimum tamen eſt, quod ad lucis uſuram quamprimum evadat. Sive enim

A ſtyli

(1) Ne meam tarditatem accuſes, quod tribus enucleandis verbis, quaſi in Deiphobes reſponſo quadrimeſtrem induſtriam tranſmiſerim, monitum te heic in limine volo, hoc qualecumque demum commentariolum ſuperioribus autumnalibus jam ad umbilicum perductum, cujus rei teſtes habeo doctrina, ac morum ſuavitate commendatiſſimos Marchionem de Sarno, ac Nicolaum Gorga hujus Regii Ephebei Moderatorem, quibuſcum rem omnem communicavi. Interea vero rumor dilatus eſt, Epigrammatis exemplar in alienas manus incidiſſe, quo publici juris evaderet; ſtatim receptui canens calamum excuſſi, veluti e ſpecula advigilans, num quis ea de re acturus in ſcenam proſiliret. Nunc autem quoniam tertium jam menſem nemo ſpectatoribus ſe ſiſtit, pluribus amicorum efflagitationibus fatigatus, mearum partium duxi poſt ſiparium diutius non latere, nec rem litterariam eximio hoc quantivis pretii titſilo defraudare.

(2) Primo ferme ab Tuſculo lapide, qua iter eſt ad Montem Porcium.

ſtyli elegantiam ſpectes, ſive nitidos characteres, ſive interiores, quas exhibet Eccleſiaſticae Philologiae latebras; nulli certe, quod hactenus innotuit, ſecundum videtur. Antiquitate vero tanta eſt, ut vix paucos eo majores natu invenias Chriſtianos lapides. Ineunte enim tertio Chriſtianae Reipublicae ſaeculo natalem diem adſpexit, cujus quidem temporis monumenta pleraque cum ipſa per ſe aetas, tum vero Gentium furor nobis invidit, quae id unice per illos dies veluti de compacto conjuraverant, uti Catholicum nomen omni ex parte delerent: eoque factum eſt, ut ea hiſtoriae pars ſuis veluti orbata praeſidiis ad hanc diem aut tenebris obruta, aut fabulis implicata ſuperſit. Itaque rei litterarum publicae, Chriſtianarum praeſertim antiquitatum aeſtimatoribus apprime gratum me facturum duxi, ſi illud, qua parte deficit, de meo ſupplerem; adhaec publici juris facerem; pauculis denique e re nata animadverſiunculis adſpergerem, quantum vix illuſtrando marmori foret ſatis. Ejus autem exemplar ab diligentiſſimo Viro (3) ad marmoris fidem expreſſum ita ſe habet.

ΘCKTC-

(3) Is eſt Antonius Viſone, quem pro merito laudare deſpero; quippe ab interiori Muſarum contubernio, quibuſcum tanta cum laude verſatur, candidiſſimos ſupra quam credi poſſit mores expreſſit. Eum Joſephus Cardinalis Spinellus acerrimus ille ingeniorum aeſtimator ſatis diuque ſpectatum Romam, bonis probantibus, evocavit, atque ad ingrediendum oratoriae artis curriculum ephebis in Propaganda auctorem, ac ducem delegit.

ΘCKTCNEOΦI
TΩΠPECBΥEN
KΩMHΠP....
ACKAΛ......
TIΩN.......
CKBP.......
ΠPAIC......
TΩMEC.....
TPIKATΩ....
A........

Quod sic restituo: ΘΕΟΙΣ ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙΣ ΝΕΟΦΥΤΩ ΠΡΕΣΒΥΤΕΡΩ ΕΝ ΚΩΜΗ ΠΡΟ ΜΙΑΣ ΚΑΛΑΝΔΩΝ ΜΑΡΤΙΩΝ ΥΠΑΤΟΙΣ Κ. ΒΡΟΥΤΤΙΩ ΠΡΑΕΣΕΝΤΙ ΤΙΤΩ ΜΕΣΣΙΟ ΕΞΤΡΙΚΑΤΩ Β.... Α. Ω. h. e. *Dis Manibus Neophyto presbytero in vico pridie Kalendas Martias*, *Consulibus C. Bruttio Praesente*, *Tito Messio Extricato* II. A. Ω.

II. Jam primum omnium Christianum esse hoc marmor haud ullus superest ambigendi locus: etsi enim *Deorum Manium* ipso in limine invocatio alio nos trahere videtur; at *Neophyti* nomen Christianae certe originationis; adhaec *Presbyteri* vox; A denique inferne descripta, cujus e regione Ω longa aetas abrasit, extra omnem dubitationis aleam statuunt. Accedit *Kalendarum notatio*, quae licet non certissima, vero tamen similis est Christianismi tessera (4); quippe profana mar-

 mora

(4) Profecto haec in caussa fuere, cur pseudo-Eusebius De Cultu Sanctorum Ignotorum c.6. Fontaninus in S. Columbae Epitaphium p.70. &, quod caput est, criticorum morosissimus Fabrettus c. 2. pag.

mora eas raro prae se ferunt. Ad aetatem vero quod attinet, ultro ipse per se lapis fatetur natum esse anno Aerae Dionysianae CCXVII. in eum quippe annum (5) C. *Bruttii Praesentis*, ac *Titi Messii Extricati* incidit consulatus.

III. De Graeco autem idiomate nihil moror: nam neque dialectus, quae communis est, neque C pro Σ (6), aut minutae aliae id genus quisquiliae tanti sunt, ut iis lectores diutius remorari debeam. Nisi quod unum illud monitos eos inde volo, marmoris auctorem Graecum aliquem fuisse ex eorum numero, qui aut ex Graecia Italica (7), aut ex aliis Orientis provinciis Romam totius Imperii caput, pro eo ac fieri solet, unde-

2. pag. 112. expressam depositionis diem Christianorum marmorum διοριστικόν esse adfirment: cui quidem sententiae Caesar Malvasia Marm. Fels. p. 569. nonnullique recentiores accedere videntur. Eos autem a veritate abhorrere non pauci apud Gruterum, Reinesium, Muratorium, ipsumque, quod magis mirere, Fabrettum lapides cuique ostendunt. Ab iis tamen in praesentia supersedere tum commentarioli me brevitas jubet, tum vero ne aliorum scripta compilasse videar; sed consule Lupum ad S. Severae Epitaph. p. 76. qui absolutam ea de re tractationem habet.

(5) Vide infra ad postremas marmoris lineolas §. XXXVIII. & XXXIX.

(6) De lunati sigmatis ortu, ac fato nihil certi ex collatitia Eruditorum stipe eruas; diversas enim ineunt vias. Spanhemius de Vsu ac Praest. Numis. Domitiano ferme suppar facit, eique Vitryus ad Epitaph. Flavii Clementis Martyris apud Calogerà pedarius Senator uno verbo adsentitur: Mazochius in vas pseudo-Socraticum, ad primi Christiani saeculi exitum rejicit; quocum sentit Audrichius Instit. Antiqu. part. 2. Sponius multo recentius opinatur: Montfauconius autem, ac De Orville ad ipsa Caesarum exordia adsurgunt; immo & Lupus paullo altius derivat: Maffejus denique, & Corsinius in incerto opinionum tamquam lubrico in solo versari videntur. At vero litteram illam tria ferme saecula Christi aetatem praecedere σύγχρονοι nummi, ac lapides fidem faciunt. Verum enimvero ne actum agam, atque alienas merces pro propriis extrusisse videar, adi Auctorem Inscriptionum Panormi p. 237. qui rem pluribus, nec sane levibus indiciis suadet.

(7) Tertio Christiano saeculo nonnullas Magnae Graeciae urbes (quas inter & nostra Neapolis) adhuc Graece loquutas, egregie, ut suus est mos, probat Mazochius ad

undeunde (8) confluebant; qui fortaſſe eo ipſo morabatur in vico, cui noſter Neophytus praeerat, eique ſuprema pietatis officia perſolvens ſepulchralem titulum aere ſuo ponendum curavit. In ipſo enim Latii umbilico plurimos per ea tempora Fideles Graeco ore loquentes verſari conſueviſſe vel inde facile eruas, quod Graecas ejus aetatis marmoreas tabulas Romana ipſa (9) ex intervallo protulerint coemeteria. Nec deſunt bilingues ejuſdem ferme temporis Chriſtiani lapides (10), Graeco ſci-

ad Tab. Heracl. p.62. & de Eccl. Cathedr. ſemp. un. p. 100. Immo vero vicos patrii ſermonis longe tenaciores fuiſſe fatendum eſt: Romanam enim civilitatem lege Julia conſecutae Graeci nominis gentes; adhaec Coloniis deinceps, Municipiiſque ſerius ocyus adſcriptae, quo frequentiori utebantur Romanorum conſuetudine, eo magis eorum inſtituta, ac linguam adſciviſſe vero ſimile videtur; quo factum eſt, ut in pagos Latiaris ſermo multo ſerius irrepſerit.

(8) Huic certe Latinorum, Graecorumque commercio natalem debent compluſculi Latini lapides praeſertim Chriſtiani Graecis litteris conſcripti; adhaec Graeci Latinis elementis apud Reineſium, Fabrettum, alioſque. Sit inſtar omnium S. Severae Epitaphium, quod erudítiſſimo auxit commentario Lupus, & alia id genus, *quam magnus numerus Libyſſae arenae*.

(9) Pleniores ſunt antiquorum chartae, quam ut teſtibus lectores enecem. Ceterum praeter inſitum Romanorum animis erga Graecas litteras ſtudium, quod uno ore praedicant veteres omnes; ſcimus victrices aquilas ſingulis ferme annis innumeros ſecum ex Graecis provinciis captivos homines Romam comportaſſe; quo factum eſt, ut infinitus propemodum ſervorum grex Romanas terras invaſerit. Eorum autem plurimos Chriſto nomen dediſſe tum Graecanica nomina, tum ipſa ſervorum opificia, quibus Chriſtiani circumfluunt lapides, argumentis prorſus neceſſariis evincunt. Immo vero Romae unam, atque alteram fuiſſe Graecorum Chriſtianorum συνέλευσιν a Latinis diſpertitam, in quam non niſi Graeci confluerent, auctor eſt Mazochius ad Kal.Neap. p. 468. n.53. Nam praeter quam quod frequentiſſimae quaequae urbes hujuſmodi conventus in ὁμογλώττων uſum ſemper habebant, tum vero id ipſum ex Iuſtini Actis nervoſo rationum pondere derivat: eoque nomine p. 452. col. 2. Tillemontium, Papebrochium, alioſque caſtigat, quod ejuſdem S. Iuſtini Acta, utpote Romae compoſita, Romana primum, deinde Graeca civitate donata exiſtiment.

(10) Vide Rein. Cl. XX. 37. Chriſtianis vero profani amice conjurant lapides. Hinc illa Severi liberti compari ſuae lepide abblandientis acclamatio: IVLIAE SE-VE-

ſcilicet, Latinoque ſermone conſcripti, qui quidem intermoriturae jamjam in Italia Graecae linguae indicium praebebant. Praeſtat nunc autem ſingulas marmoris partes ſigillatim adire.

V. 1. ΘCKTC

IV. Sollemnem eſſe hanc *Θεῶν καταχθονίων Deorum Manium* invocationem veteribus lapidibus apprime familiarem, ipſa cuique per ſe res loquitur. In quo quidem illud obſervatu dignum, veteres ſaepe per initiales ſyllabarum litteras verba per compendia ſignaſſe. Id vero eo factum contendit Mazochius (11), quod ſolerent interdum ſyllabatim verba concidere, ac puncta interjicere: hinc ubi vocem aliquam per primores ſyllabas notare in animo erat, haud raro primas uniuſcujuſque ſyllabae litteras ſignabant. Sane notiora ſunt, quam ut monitore indigeant DPS *depoſitus*, DM *dormit*, DMN *domini*, BMN *benemerenti*, RQ *requieſcit*, PS *poſuit*, LC *locus*, SD *ſedit* (12). His adde rariuſcula illa ſcitu non injucunda PARTB *parentibus*, H.I. *hujus*, SBTA *ſub-*

VERAE ΚΤΡΙΑΝ ΑΓΑΘΗΝ, quam refert Vignol.Inſcr. Select.p. 235. & Bonannus ex Muſaeo Kircheriano Claſſ.III. p.205. Denique cui non notum ſingulare illud Doniani Epigrammatis litterarum compendium IN FR. Π.Ω. IN AGR. Π. Φ. h. e. IN FRONTE ΠΟΔΑΣ Ω. IN AGRO ΠΟΔΑΣ Φ? Don. ex edit. Gorii Claſſ. X. 38. p. 362.

(11) Mazoch. in Epitaph. Hilari p. 11. n. 6.

(12) Id ſi Fletwodo innotuiſſet, profecto de remiſſo veteris diſciplinae rigore ſecum ille non expoſtulaſſet Syll. Antiqu. Inſcript. p. 376. quod Caſſium vix annorum XXI. Epiſcopali tamen auxerint dignitate: non enim quos vixit, ſed quos SD. h. e. *ſedit*, ibi enumerantur anni. Quod & in aliis lapidibus uſuveniſſe conſtat, ut non ſolum vitae, ſed & ſacerdotii, militiae, conjugii, viduitatis, novae a baptiſmo vitae, temporis denique, quo virgines Deo conſecrari coeperant, notarentur anni. Atque in ea annorum recenſione eo diligentiae devenerant, ut horarum ſemiſſes, & ſcrupulos aliquando ſignaverint.

subtracta, PTRQ *posterisque*, Q. C. P. R. B. R. *quem comparaberunt*, K. R. M. *Karissimae*. At frustra sim, si hujus moris exempla Masorethica sedulitate congerere satagam. Cave tamen his accenseas cum Reinesio, ac Fabretto N. P. C. h. e. *Napucam*, si Diis placet. Id vero cur sentiam, ne commentarioli continentia distrahatur, ad imam paginam (13) rejicere visum est.

V. At vero quid sibi fert intempestiva illa *Deorum*

[13] Marmor apud Grut. CXI. 1. sic se habet. GENIO. ORD. QVEM. VLP. DOM. HERMES. AVG. COL. OB. HONOREM. ORNAM. DEC. PROMISERAT. T. P. S. L. VAL. TRAEPTVS. ET. DOMITIVS. REGVLVS. HIPPONICVS. HERMES. ONESIMVS. AVG. COL. N. P. C. L. D. D.D. Reinesius, ut est egregio illo ad effingendum ingenio statim Class.I. 168. AVGustalem COLoniae NaPuCensis confidentissime interpretatur: attamen vel meo periculo a vero tantum abhorret, quantum Codrus ab Inacho. Ecquid enim est, quod Napucensem Coloniam intelligat, quum marmor e Coloniae Vlpiae Trajanae ruderibus erutum esse constet? Scio equidem utrasque olim in Daciam deductas Colonias; at illa septemtrionem, haec meridiem spectat: locus itaque Reinesianae conjecturae non conspirat. Quod si e Napucensi ad Vlpianam fato aliquo delapsum lapidem dicas; quid est, quod qui primis versibus AVG. COL. scripsit, statim N. P. C. non subjecerit? Si enim de Coloniae nomine monitos volebat lectores, par erat, ut in marmoris initio potius, quam sub finem eam signaret, aut certe nullibi. Atqui is, qui tam cernit acutum, ab hac indagine levissimo negotio extricare se poterat. Nam idem marmor, nescio qua editorum oscitantia, rursus in scenam prodit pag. CCCCLXXXI. 5. licet superiori ex parte mancum, nisi quod pro N. P. C. habet H. P. C. Itaque qui in titulis supplendis, emendandisque tantam prae se fert licentiam, ut jam in proverbium abierit Reinesiana libertas; poterat heic sine religione, praesertim altero suffragante marmore, N. in H. leviusculе immutare. Eo pacto integer se prodit marmoris sensus, ut *quem Vlpius Dom. Hermes promiserat Titulum Pecunia Sua Lubens* (ita enim siglis illis T. P. S. L. medicinam hactenus, quod sciam, intentatam facio) *Val. Thraeptus Hic Ponendum Curavit*. Ita marmor, quod, Reinesio interprete, nescio quid monstri alit, admodum planam prae se fert explicationem. Quod si correctioni nullo pacto acquiescere velit Reinesius, meminerit litteras plane gemellas apud Grut. CCCLI. 7. rursus occurrere: D. M. V. F. Q. ALSVTIVS. IIIVIR. N. P. C. h. e. *Nomine Proprio Curavit*. Vtcumque se res habeat, quidvis patiar potius, quam portentosam illam marmoris sollicitationem.

rum Manium Chriſtiano in marmore invocatio? ac vereor quidem, ne uno hoc nomine Neophytum noſtrum de Catholica pace deturbent invidi, eumque continuo ſub Tartara detrudant. Fabrettus certe (14) Mabillonio eruditiſſimo viro id crimini vertit, quod in Leopardi marmore (15), primis illis D. MA. *Deos Manes* cubare exiſtimet; ac *Deo Magno*, ſive *Maximo* Marte ſuo recudit; cui quidem Boldettus, Marangonius, Mamachius, aliique inhaerent (16). Eorum tamen pace inſolentem non eſſe hanc *Deorum Manium* in Chriſtianorum titulis invocationem, ultro palam univerſis faciunt ſubjecti, quos hinc illinc, quoad per temporis anguſtias licuit, corradere potui lapides, multo plura, ſi modo adnitar, in vaſto Inſcriptionum Oceano deprehenſurus: adeo ut, quae ſaepiuſcule per compendia in veteribus Chriſtianorum lapidibus occurrunt ſigla D. M. aut Θ. K. (17) pro *Dis Manibus*, aut Θεοῖς Καταχθόνιοις ſine ullo exiſtimationis diſpendio intelligi poſſe pateat.

VI. Atque ecce tibi ex Kircheriano Muſaeo (18): DIS . MANIBVS . FILIO . SVO . DVLCISSIMO . POSVIT . QVI . VIXIT . ANNIS . VI . DIES . XXVII.

[14] Inſcript. Dom. c.2. p.112. & c.8. p.564.

[15] Iter Ital. p.73. & ſeq.

[16] Boldet. *Oſſerv. ſopra i Cimit.* lib. 1. c. 24. p. 115. & lib.2. c. 10. p. 452. Marang. *Delle coſe gentileſche traſportate ad uſo delle Chieſe*. Mamach. Orig. Eccleſ.lib. 3. c. 1. §. 3. tom. 3. p.17. Bonada Carm. Sep. Diſſ. X. c.12. p.464. tom. 2. Quid quod Muratorius, qui pag. 1878. aperte *Deos Manes* exhibet; dein pag. 1901. praeter expectationem rem in dubium revocat; tum vero pag. 1909. *Deo Magno* legit? utra vero ex his potior ei rideat ſententia adhuc ſub judice lis eſt. Mireris denique Mabillonium, qui de cultu Ss. Ignotorum, Fabretti in verba jurans, parum abeſt, ut ſuae ſententiae palinodiam canat.

[17] Egregiam eorum ſupellectilem corraſit Boldettus lib. 2. ubi ſup. Adde Aringhium, Boſium, Severanum Romae Subterraneae Auctores, ac ceteros paſſim veterum inſcriptionum collectores.

[18] Refert Lupus in Epit. S. Sev. pag. 105. adhaec Iacutius in Vit.

(sic)
XXVII . IN . PACAE . Adhaec Odericus (19): DIS. MANIS. PARENTES. BENEFECERVNT. FILIO. DIGNO. STERCORIO. QVI. VIXIT. ANVM. ET. MENSES. V. Adde Gruterum ex correctione Fabrettiana [20]: DIS. MANIBVS. IANVARIAE. QVAE VIXIT. ANN. XIII. MENS. XL. D. XIIII. FECIT. Q. MAGIVS. HILARIO. PATER. FILIAE. DVLCISSIMAE. ET. SIBI. POSTERISQVE. SVIS. Rursus [21]: DEBITA. SACRATIS. MANIBVS. OFFICIA. Et [22]: SANCTIQVE. TVI. MANES. NOBIS. PETENTIBVS. ADSINT. Et [23]: DVLCIS. APVD. MANES. ZOE. Accedunt diversae illae quidem, ejusdem tamen furfuris voces [24]: QVEM FATO ANTICIPANS. Et apud Fabrettum [25]: FATIS DECESSIT INIQVIS; atque alia id genus non pauca, quae Christianis in lapidibus ex intervallo occurrunt [26].

VII. Qua quidem de re adfirmare non dubito; veterum Christianorum nonnullos Ethnicum illum lo-

Vit.Constant.part.2.pag.159. Georg. Diss.de Monogr.Chr.pag.59.Murat. 1928.4.& Auctor Inscriptionum Siciliae, & adjacentium Insularum Class.XVII.n.18.

[19] Diss. 2. de Anonymi Martyris Epitaphio pag. 43. Titulum vero Christianum esse vel ex uno *Stercorii* nomine in Christianis marmoribus haud infrequenti patet, uti observat Fabret. c.8. pag. 582. Marm. Pisaur. Inscript. 157. est *Istercorio*, quod quidem tantumdem valet; quippe nominibus ab ST, SP, SC incipientibus I praeponere in more erat. Vide Rein. Class. XX. 328. & Bonarrot. in Fragm. Vitr.p.112. Quod & in suam linguam inde derivarunt Itali.

[20] Fabret. in Emend. Gruterian. p. V. Vt autem heic Ianuariam Ethnicis surreptam Christianorum gregi insererem, indicium fecit mensium XL praeter annorum summam adnotatio: eo enim sub cortice utramque ante, ac post baptismum vitam delitescere ponderosis, ut sua sunt omnia, argumentis contra Sabatinum evicit Mazochius p.50.

[21] Grut. 1058. 1. & Fabret. pag. 80.

[22] Grut. 1061. 7.

[23] Id.ib.8. vid.Fabret. ubi sup.

[24] Fletw. pag. 736. 1.

[25] Pag. 112. c.2. p.276.

[26] Boldet. lib. 2. c. 11. pag. 464. Fabret.p.112. n.277.

quendi morem interdum de induſtria adfectaſſe, uti mortuorum cineres Gentium inquiſitioni, inſultibuſque inviderent; ut ſi qui olim eis forte ſe darent loculi, profano illo in ſpeciem adparatu, eorum oſſibus parcerent, atque in urna tuto quieſcere paterentur. Ecquis enim neſcit, quanta ſollicitudinum contentione in id unice adlaborarint, ne dormientium ſollicitarentur cineres? Huc profecto ſpectat, quod eos in coemeteriis, atque adeo in ipſis terrae viſceribus hominum adſpectui ſurriperent: huc dirae illae, quibus ſepulchrorum violatoribus mala omnia [27] precabantur: huc denique aenigmatica illa Chriſtianorum marmorum φρασεολογία, qua non ſacra tantum myſteria, ſed & ſepultorum oſſa Ethnicorum oculis, manibuſque ſubducerent [28]. Vero itaque haud abſimile videtur, profanis hujuſmodi vocibus lapides nonnumquam dedita opera adſperſiſſe, uti Gentes in eorum cadavera acriter infenſas hiſce technis, ambagibuſque fallerent.

VIII. Haec niſi faſtidioſo lectori faciant ſatis, illud nemo mihi eripiet, quin profanas in Chriſtianis marmoribus voces primorum Fidelium, Neophytorum

[27] Atqui hujuſmodi minas, quibus, pro eo ac par erat, cadaverum quieti conſulebant, Reineſius neſcio qua intempeſtiva religione *pietati, ac manſuetudini Chriſtianae difformes* nominat Claſſ. XX. 440. Vide Iacutium de Bonuſa, & Menna Exercit. II.

[28] Cui non notae ſollemnes illae *Accipiendi*, *Percipiendique* formulae, quibus Merſionis myſterium innuebant, quaſque in ſuum porro *Criobolium*, *Tauroboliumque* derivarunt Ethnici? ut eruditiſſime Van-Dale de Antiquit. & Marmor. Diſſ. I. His accenſeas vocabula *In Pace*, *Depoſitus*, *Reddidit*, *In Fide Conſtitutus* (de quo vide Mazoch. adverſus Sabatini, ac Barruffaldi opinionem), adhaec myſticam dierum ſupra XXX, ac menſium ultra XII numerationem, quibus vitae annos a baptiſmatis aetate diſtinguebant. Obſcurum denique Chriſti Monogramma, ac cetera ſcalpta Navis, Palmae, Columbae, Piſcis, & quae plura erant hujus generis hieroglyphica ſymbola, quibus Arcani diſciplina continebatur, quibuſque veluti teſſeris ipſi ſibi innoteſcebant, non item exteris.

rum praesertim inscitiae tribuam, qui Christianis mysteriis vix imbuti, adhuc aliquid ex Gentium ritibus, pro eo ac fieri solet, retinebant; Ethnicasque phrases consuetudinis vitio temere potius, quam impie usurpabant. Quod quidem nascenti Ecclesiae, Fideliumque infantiae dabatur: id enim ratio temporis expostulare videbatur, ut multa, quae ex Majorum suorum instituto altas in Ethnicis radices egerant, illis Christianae rei incunabulis tolerarentur, quo Gentes ad Catholicum nomen sensim sine sensu deducerentur; quae tamen deinceps radicitus extirpata sunt. Et re quidem vera scimus in Neophytorum gratiam multos Ethnicorum ritus Christianis [29] permissos. Quid quod & composita demum pace, heterodoxae impietatis molem ictu temporis evertere Christianis Principibus e re Ecclesiastica visum non est? Sed latis identidem e re nata sanctionibus [30], tum demum Idolorum cultum penitus delere da-

[29] Age vel una in re Libitinaria quam paria utrobique sunt omnia! dormientium oculos componere, adhaec cadavera abluere, tum unguentis aromatisque condire, linteis denique, institisque obvolvere, ad summam magnificis vestibus, quantum per ea tempora licuit, ornare, rosisque adspergere (*Rosalia* vocant, de quibus Mazoch.ad Kal. Marm. Neap. tom. 1. p.53. n.27.); quos quidem ritus ab Ethnicis expressos egregie praeter ceteros persequitur Aringhius lib. 1. c. 21. Mitto Stationes in templis, Epulas sacras seu Agapas, Peregrinationes religionis ergo, Sacra Collegia, Ordines, Pervigilia, Votivas Tabellas, Amburbia, Ambarvalia, ac ne singulis immorer, alia id genus sexcenta, de quibus Van-Dale De Orac. & Marm. Quod quidem ansam praebuit Catholicae veritatis hostibus, ut Christiani nominis integritatem Ethnici veneni afflatu contagioque corruptam objicerent.

[30] Ecce tibi ad rem Baronium ad an. 324. n.91: *Quamobrem constat hallucinari eos, qui a Constantino clausa Deorum templa, & eorum sacra omnino proscripta adfirmant*. Et ad an.326.n.76. *Constat enim diu post Constantinum fuisse hostias immolatas. Romae siquidem gentilitiae superstitionis cultores mordicus patrita sacra retinebant. Vix tandem tempore Theodosii Senioris Idolis immolari, sacrificia Romanis penitus prohibita esse noscuntur*. Sed & pagos ab hostiis immolandis multo serius abstinuisse vel

datum eſt. Atque ad haec quidem tempora refero Aurelii Balbi marmor apud Fletwod [31], in quo aperta de Iove mentio.

IX. Id vero oculis pene ipſis videre eſt in veterum Chriſtianorum nominibus. Nam [32] *Deos nationum nominari lex probibet;* pluresque accepimus, vix ad Catholicam ſeſe receperant veritatem, ſtatim ſuum nomen [33], quod Superſtitionem ſaperet, commutaſſe. Quid ergo eſt, quod ipſa Deorum nomina apud Chriſtianos obtinuerint, niſi in Neophytorum gratiam permiſſum id dicas? Atque ecce tibi *Mercurium* [34], *Caſtorem*, ac *Pollucem* [35], *Herculem* [36], *Herculiam* [37], *Fortunium* [38], *Venerem* [39], *Veneriam* [40], *Saturninum* [41], *Diſcordiam* [42], *Aphroditen* [43]. Accedit *Ammon*

vel unum *Paganorum* nomen ſat arguit. Vide Cangium, & Pitiſc. v. *Pagani*, & Voſſ. Etymol. v. *Pagus*.

(31) Marmor eſt apud Fletwod pag. 345. 3. AVRELIO BALBO VITA INTEGERRIMO MORIBVSQVE ORNATO QVI SE QVIETIORIS PERFECTIORISQVE VITAE DESIDERIO EX NEGOTIIS CIVILIBVS IN QVIBVS FVERAT CVM LAVDE VERSATVS IOVIS OP. MA. BENEFICIO DVCTO HIC IN SPE RESVRRECTIONIS QVIESCENTI LOCVS PVBLICE DATVS EST. Scaliger ex quo Iovem heic nominari intellexit, ſtatim Aurelium Balbum ſub Tartara demiſit. Sed aperta Reſurrectionis mentio eum Chriſtianum eſſe jubet. Quod vero ei locus publice datus eſt, omnem dubitandi anſam praecidere videtur, poſt Conſtantini tempora poſitum lapidem. At vero Muratorius Antiq. Ital. Diatrib. 58. Epigraphen ad XIV. aut XV. ſaeculum rejicit; quod quidem, donec meliora aliunde promat, haud concoquere poſſum. Lapidem refert etiam Grut. ML. 3.

(32) Tertull. de Idol. c. 20.

(33) De Balſamone refert Ruinartius in ejus Actis: de Euſtachio, ejuſque familia Niceta Paphlagonius in vit. S. Euſtach. ap. Combefiſ. De V. Martyribus Aegyptianis Euſeb. lib. de Martyr. Pal. c. 10. apud Ruin. Act. MM. pag. 346.

(34) Grut. 1059. 3. Murat. 1933. 10. Paſſion. p. 123. 69. Fabr. p. 551. XIX. necnon 27. & ſeq. Id. p. 734. 459.

(35) Murat. 1850. 2. 3. 4.

(36) Grut. 1053. 5. Murat. 1884. 8. 186. 3. 1. Marm. Piſaur. p. 65. 158.

(37) Paſſion. 117. 40.

(38) Fabr. 569. XLVI. XLVII.

(39) Bold. p. 475.

(40) Fletw. 365. 6.

(41) Gud. 370. 7. (42) Grut. 1051. 11. Fletw. 386. 1. Murat. 1858. 2.

(43) Sponius in Itin. refert Chriſtia-

mon Metropolita apud Palladium [44], *Bacchus* Secundicerius Scholae Gentilium, & Martyr apud Adonem [45], *Mars* Diaconus apud Baluzium [46]: ac plura certe rimantibus occurrent [47]. Quid quod & fluviorum nomina non respuebant, quibus Divinos olim exhibitos honores constat? Apud Fabrettum [48]: AVRELIA. FELICITAS. ET. CL. INACHVS. Haec veluti de compacto conspirare videntur, ut in nascentis Ecclesiae gratiam nonnumquam de Canonum, ac Disciplinae severitate tantisper remissum credatur, dum hisce veluti blandimentis infans adolesceret Ecclesia.

X. Hinc vero facile expeditu est, cur Christianis lapidibus profanas nonnumquam imagines apposuerint, quarum etsi plerasque per aenigmatum involucra Christiani nominis etiam symbola esse autument Bonarrotius, Boldettus, Aringhius, Severanus, aliique [49]; permultas tamen ad sacrum sensum vel nisu Herculeo nullatenus detorqueas. Quid enim Baccho, Veneri, Cupidinibus cum Christo commune dicas? Atqui hujusmodi Deos, licet rariuscule, tamen prae se ferunt coemeteria. Adde personas tragicas, Gallos pugnantes, tesseras lusorias, ac satis amplam ejus generis segetem ex interiori Mythologiae

stianam Epigraphen: *Amplificam sequitur vitam dum casta Aphrodite, Fecit ad astra viam, Christi modo gaudet in aula*. *Aphrodisium* habet Kal. Marm. Neap. edente Mazochio p.284. ad diem IV.Non. Maj.

(44) Pallad.in vita Chrysostomi.

(45) In Martyrol.

(46) Miscell.tom.2.p.92.

[47] Cujusmodi sunt *Iovinus*, *Iovinianus*, *Cinthia*, *Lucina*, *Apollonia*, *Sylvanus*, *Minerva*, *Dionysius*, aliaque innumera. Sed & per Genios, Deosque jurasse olim Christianos docet Tertullianus lib. de Idol. c. 21. *Ceterum consuetudinis vitium est Mehercule dicere, Medius Fidius, accedente ignorantia quorumdam, qui ignorant jusjurandum esse per Herculem*.

[48] Fabret. p.548. X. Accedit Nilus Martyr apud Ruinartium.

[49] Bonarr. ad Vitr. Fragm. p. 6. fig. 1. Bold. lib. 2. c. 12. p. 465. Aringh.lib.5.c.3.p.450.

logiae penu depromptam [50]. Scio equidem Christianis in teterrimam rerum asperitatem conjectis per temporis, pecuniaeque angustias nova ab inchoato marmora effingere non semper licuisse, ac detractas ab Ethnicorum sepulchris marmoreas tabulas pro suis usurpasse: atque ab ea est caussa, cur non paucos offendas Catholicorum lapides, in quorum aversa parte profanae prostant inscriptiones [51]; at id ipsum certe nescio cui Fidelium ignorantiae vertas, quod cum Christi Monogrammate, ac ceteris Ecclesiasticae communionis emblematis heterodoxa isthaec, prope ut olim in Alexandri Augusti larario, consociata adsederint Numina.

XI. Huc facit ineditum marmor, quod summae spei juvenis Damianus Montinarius (eum nobis importuna mors non sine bonorum lacrymis invidit) suis ipse oculis vidisse, & quae sua erat in hoc Antiquitatis genere scientia, diligentissime exscripsisse ajebat: HEIC. CESQVET. (52) B. M. [53] ALEXANDER. THEOPHILA. M. F. B. M. [54] P. inferne vero: NVI SL. Pri-

[50] Vide Bold. atque Aringh. passim.

[51] Bold. lib.2.c.10.pag.452.

[52] *Cesquet* pro *Quiescit* cum frequentissime occurrat, non tam quadratarii inscitiae, quam illius aetatis dialecto tribuam. Idem de *Innofito* pro *Neofito* dicas, *annus* pro *annos*, atque aliis: haud enim fit verisimile lapicidas plerosque in unum offendisse: quod & adnotare libuit, ut a protrita illa Eruditorum querela abstineamus, qua scalptores tertio quoque verbo reos peragunt.

(53) Cave cum Mabillonio De Cultu Ss. Ignotorum c. 6. credas B M. h. e. *Bonae Memoriae* Christianorum tantummodo fuisse: quippe sexcentas, si id agerem, adducere possem Ethnicas inscriptiones, quibus hujusmodi comparet formula. Immo & ad vivos aliquando pertinuisse constat. At vero quis risum cohibeat, quod Bonfantius sigla illa B. M. spreta vulgari interpretatione, quam fortasse viliorem existimavit, *Beatum Martyrem* intelligat? Nempe bonus vir hac via Martyrum centurias multo penore locupletavit. Vide Muratorium Antiqu.Ital.Dia trib.58.

[54] Mazochio ceteroquin ad miraculum eruditissimo, ac Neapolitanae, atque adeo Europeae Litteraturae ornamento singulari, dare

Primo quidem intuitu ſubjectas litteras NVI SI *numerum ſextum*, aut *ſeptimum* interpretabar: uſuveniſſe enim accepimus, ut marmoribus numeri ad deſignandos loculos apponerentur. At non mediocre negotium faceſſebat vox illa *numerus;* quippe columbaria numeralibus tantum notis ſignificari in more fuit. Niſi quod titulo forte fortuna inverſo, mutatae illae ultro ſe mihi dant litterae IS IΛN. Statim manum de tabula: diutius enim dubitandum non fuit, marmor Ethnico homini deſtinatum, ac dIS MANibus inſcriptum in Chriſtiani manus incidiſſe, quem quum de profanis illis litteris ſcrupulus invaſiſſet, antequam ſacro uſui addiceret, eas quaquaverſus abradere ſtuduit; quod cum laborioſi eſſet operis, ſatius duxit marmor invertere, ut ſemiraſae illae, ac veluti fugientes emerſerint litterae NVI SI, ceteris elementis fricatu prorſus deperditis. Heic *παρέργως* ſcias laudati Montinarii, quoniam huc ſermo irrepſit, ſepulchrales titulos ferme viginti ineditos in forulis deliteſcere, quorum ille ſub funus, pro ſua erga me voluntate, ſupremis veluti tabulis heredem ſcripſit ex aſſe. Eos autem in mea Diatriba: DE VSV, AC PRAESTANTIA INSCRIPTIONVM IN RE ECCLESIASTICA publici juris me facturum ſpondeo: ea vero non niſi poſteriores auctoris manus praeſtolatur, ut vitali aura frui poſſit.

XII. Agmen claudant hebdomadae dies, quos Aſtrorum nominibus, veluti *Solis*, *Lunae*, *Martis* Ethnicorum inſtar Chriſtianis in lapidibus vocari ima docebit pagina [55]. Atqui ſcimus vel primis Eccleſiae ſaeculis

dare tamen non poſſum, quod *Benemerentis* Epitheton Chriſtianorum *διοριστικόν* eſſe adfirmet in Epit. Hil. Nam profanae illud etiam prae ſe ferunt inſcriptiones *ὡσαὶ κόνις*.

[55] Integram eorum nominum meſſem alio loco expendam: heic prae-

lis ſingulos dies Eccleſiaſticis nominibus jam donatos ? Nam de κυριακῇ, praeter Apocalypſim [56], teſtis eſt S. Ignatius Martyr Antiochenus [57], adhaec Apoſtolicae, quas vocant, Conſtitutiones [58], Apoſtolorum denique Canones [59]. Mitto Barnabam, qui ὀγδόην ἡμέραν [60], ac Polycarpum, qui μέγα σάββατον nominat; necnon vetuſtiſſimam, noſtraeque ſupparem Epigraphen [61]: ΕΤΕΙ . ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ . ΚΑΙϹΑΡΟϹ . ΤΩ . Α . ΑΡΧΗ . ΑΙ . ΚΥΡΙΑΚΑΙ . ΤΟΥ . ΠΑϹΧΑ . ΚΑΤΑ . ΕΤΟϹ . Dionyſius denique (62) Corinthius, datis ad Soterem Romanae Vrbis Epiſcopum litteris, apertiſſimam facit diei Dominicae mentionem.

XIII. De reliquis hebdomadae diebus teſtes locupletiſſimos in promptu habeo. Nam δευτέραν, τρίτην, καὶ πέμπτην ἡμέραν habent Apoſtolicae (63) Conſtitutiones:

praeſtat vix ſpicilegium facere. *Solis diem* habet Gor. t. 1. p. 168. Fabr. c. 10. p. 738. Bold. lib. 2. c. 3. p. 343. Lup. p. 101. & 102. Oder. 357. *Lunae* Don. ex edit. Gor. XX. 56. Oder. p. 265. Murat. 1830. 1. & 1819. 6. *Martis* Murat. 1863. 9. & 1865. 4. *Mercurii* Grut. 1050. 5. & 1054. 8. De Orville in Sic. p. LXIII. 4. *Iovis* Lup. 18. Fabr. 577. c. 8. Noris in Notis ad Faſt. Conſ. Anon. Bold. p. 413. Grut. 1054. 8. Lup. 102. *Veneris* Maffejus Muſ. Ver. inter Chriſtianas 5. p. 183. Fletwod 412. 4. Murat. 1835. 3. 1854. 10. 1855. 4. Lup. 19. & 101. Scalig. de Emend. Temp. Grut. 1053. 4. Bold. lib. 2. c. 6. p. 401. 408. Gud. 367. 1. *Saturni* denique Bold. lib. 1. c. 19. p. 84. Bianch. in Proleg. ad Anaſt. tom. 2. p. 68. Lup. p. 18.

[56] Cap. 1. v. 10.

[57] Epiſtola ad Magneſianos apud Cotel. PP. Apoſt. p. 2. tom. 2. p. 9. & p. 57. 9. Id. ad Philipp. §. 13. p. 119.

[58] Lib. 2. c. 59. p. 270. & 271. lib. 3. c. 6. p. 282. lib. 5. c. 20. p. 331. lib. 7. c. 30. p. 375. & ib. c. 36. p. 379. & 380. denique lib. 8. c. 33. p. 419.

[59] Can. 56. p. 450.

[60] Ep. Cathol. §. 15. p. 47. Vide ibi doctiſſimas Cotelerii, ac Menardi notas. Sed de Polycarpi *Magno Sabbato* adi Mazoch. ad Kal. Neap. tom. 1. p. 68. & fuſius tom. 3. p. 943. & ſeq.

[61] Refert Suicerus ad vocem Κυριακή.

[62] Apud Niceph. lib. 4. c. 8. p. 293. At vero Nicephorus ipſe lib. 7. c. 46. p. 515. quique ex eo profecit Ang. Politianus Miſcell. lib. 8. ejus nominis auctorem faciunt Conſtantinum. Fortaſſe doctiſſimis viris illud fraudi fuit, quod Conſtantinus ejus Diei cultum reſtituerit, referente Euſeb. Sozom. aliiſque.

[63] Δευτέραν nempe lib. 5. c. 13. &

nes: hinc *μεγάλη πέμπτη quinta dies*, quae proxime Pascha antecedebat. Τετράδα vero, παρασκευὴν, καὶ σάββατον multo frequentius antiquissimi (64) Ecclesiae Scriptores. Age, quem latent Τετραδῖται *Sabbatiani*, quod in Paschatis festo die, ceu Feria quarta jejunarent? Quem μεγάλη παρασκευὴ dies, quo Dei filius cruci est adfixus? παρασκευὴν vero προσάββατον appellat Epiphanius (65); & Sabbatum ἑβδόμην ἡμέραν (66) Apostolicarum Constitutionum Auctor. Integrum denique dierum conspectum habes apud Tironis, & Senecae Notas penes Gruterum in calce Inscriptionum.

XIV. Postremas hac in fabula agat nuperus Beneventi Scriptor (67), qui ut primaevos Fideles ab Ethnicismi suspicione eximat, *Deorum Manium* invocationem prorsus ἀδιάφορον dicit: *credat Iudaeus Apella*. Id vero solidissimis rationum momentis confirmasse censet, quod parta demum Ecclesiae pace Constantius sepulchra dixerit *Manium aedificia* (68), ac sub Theodosio iterum de *Manibus* (69) mentio occurrat. At ecquem latet *Manium* nomine nonnumquam puras defunctorum animas (70) venire? Quid ergo caussae est, cur miremur

 ab

& lib. 7. c. ult. Τρίτην vero lib. 5. c. ult. Πέμπτην denique lib. 7. c. 24.

[64] S. Ignat. ad Philipp. c. 13. p. 119. Tertull. lib. de Iejun. c. 2. & 14. & adverf. Marcion. lib. 4. c. 12. Constit. Apostol. lib. 5. c. 13. 15. 20. lib. 7. c. 24. Can. Apostol. 61. adhaec Auctor libri ad Orthodoxos [Iustino tribuunt] quaest. 61. Clem. Alex. Strom. lib. 7. p. 774. Epiph. histor. compend. pag. 466. Vide Suicerum ad vocem Νηστεία.

[65] Haer. 75. adverf. Aërium.

[66] Cap. 15. lib. 5.

[67] Is est Ioannes de Vita Thesaur. Antiquit. Benev. Romae 1754. tom. 2. sub finem.

[68] Leg. 4. C. Th. de Sepulchris violatis. Sepulchra autem proprio vocabulo *Aedificia* nuncupari ex binis Gruteri titulis solidissime confirmat Fabrettus cap. 1. p. 14.

[69] Novel. de Sepulchr. ad calc. C. Th: *Quis nescit quietos sollicitari funestis ausibus Manes?*

[70] Qua quidem de re possem auctoritatum plaustra congerere, quarum nonnullas produxit Norisius ingenio magis, quam purpura Eminentissimus ad Cen. Pis. Diss. 3. c. 4.

ab Christianis etiam usurpari? At vero *Manes*, ac *Dii Manes* inter se distant, quantum aera lupinis. Hos itaque dum nominant Christiani excusandi quidem, non autem laudandi. Denique e sequioris aevi Fidelibus fuisse adhuc nonnullos Ethnicarum quarumdam consuetudinum tenacissimos, ne alienarum opum expilator traducar, pluribus evincunt Muratorius, ac Thiers (71). Atque haec in Θεῶν καταχθονίων gratiam dixisse sufficiat.

V. 1. & 2. ΝΕΟΦΙΤΩ

XV. *Neophyti* (72) nomen licet aliunde, quam Christiano ex fonte (73) derivari nequeat; Christiana tamen Gruteri, Fabretti, Reinesii, Muratorii, aliorumque, quod equidem sciam, non habent marmora. In binis enim, quas Gruteriana habet Sylloge Inscriptiones, quidquid Sca-

3. c.4. At ne ultra inscriptionum cancellos progrediar, Grut. 718. 1. *Obtestor Manes meritae, sanctaeque patronae*. Ferret. Mus. Lapid. p. 234. *Vmmidiae Manes tumulus tegat iste, simulque Primigeni vernae, quos tulit una dies*. Fabrett. p.80. n. 96. *Hunc titulum socios Manes commune sepulchrum*. Vide ibi plura.

[71] Murat.Diatr.59.Antiq.Ital. *De' semi delle superstizioni ne' secoli scuri d' Italia*. Et Diss. 38. *De' Giudizj di Dio, o sia degli sperimenti usati dagli Antichi per indagare i delitti, o l' innocenza delle persone*; & Diss. 39. *del Duello*. Thiers vero absolutam *De Superstitionibus* tractationem confecit.

[72] I pro T cum frequentissime in lapidibus occurrat, ab producendis testibus consulto abstineo.

[73] Atqui Gruterus XXXI. 9. *Valerium Neophitum* ex Ethnicorum numero profert; quod quidem prima fronte nescio quid negotii facessiit, ac parum abfuit, quin Valerium in Paradisum inferrem. Sed cum nullibi alias inter Ethnicos Neophytus audiat; ac ne verbum quidem penes eos, qui singulares de Veterum Nominibus tractationes agitant; adfirmare non dubito Valerium nostrum Christianis majoribus ortum inde cognomen derivasse; tum Evangelicae legis pertaesum ad Ethnicum gregem sese iterum recepisse: aut certe in Christianorum contemptum usurpatum nomen illud dicas; quod & sexcentis in rebus usuvenisse accepimus. Quippe inficiari nemo poterit, vocem illam, si vim nominis spectes, Christiani prorsus peculii esse.

Scaliger, ac Fletwod eas veluti per vim sollicitent, haud umquam extundent, ut *Neophytum* nominum albo accenseam. Nam prima est apud Gruterum 1051. 3. Fletw. 376. 2. & Malvas. p. 569. HIC. REQVIESCVNT. DVO. FRATRES. INNOCENTES. CONSTANTIVS. NEOFITVS. QVI. VIXIT. ANNIS. OCTO. M. II. D. VI. DEPOSITVS. III. ID. NOV. CONS. DD. NN. ARCADI. ET. HONOR. AVGG. IVSTVS. FIDELIS. QVI. VIXIT. ANNOS. VII. Ad quam Fletwod: *Non video rationem, cur puer annorum septem Fidelis esset, & alter annorum octo Neophytus:* quasi omnes una debuissent aetate baptizari; tum ut ulcus medica manu tractet: *forte*, ait, *erant puerorum cognomina*. At cum illic *Neophytus Fideli* e regione respondeat, certo certius est cognomina (74) non fuisse.

 XVI.

[74] Symbolam heic confert Odericus pag. 267. Sed ut rem conficiat, novis ambagibus implicat in haec verba: *Meliora fortasse, qui Albaspinaeum secutus Constantium Neophytum vocari vellet, quod Baptismate, & Confirmatione suscepta, antequam Eucharistia donaretur, obierat: Iustum autem Fidelem dici, quod Eucharistiam una cum Baptismate, & Confirmatione antequam moreretur, acceperat*. Eo pacto Baptisma Neophytos, Eucharistia Fideles faceret; quod nullibi certe, nisi in Oderici officina nuperrime confictum invenies. Age vero, rejectis rivulis, ab ipsis fontibus, quid *Neophytum*, ac *Fidelem* intersit, hauriamus. Νεόφυτον in 1. ad Tim. vertit Beza, & Erasmus *Novitium*; Chrysostomus νεοκατήχητον, *nuper in Fide institutum*: & in c. 3. Isaiae τὸν νεωστὶ φυτευθέντα, τουτέστι κατηχηθέντα, *nuper plantatum, id est in religione institutum*. Theodoret. Τὸν εὐθὺς πεπιστευκότα, *qui jam primum credidit*. Balsamon νεοφώτιστον *recens baptizatum*: Zonaras τὸν ἄρτι ἐξ ἀγριελαίου τῆς ἀπιστίας πρὸς καλλιέλαιον μετεγκεντρισθέντα τὴν πίστιν δηλαδὴ τὴν ὀρθόδοξον: *qui nuper ex oleastro incredulitatis in veram oleam, Fidem nimirum orthodoxam insitus est*. Pricaeus denique ex MS Medicaeo προσήλυτον *novitium*. Vides igitur Νεόφυτον, καὶ πιστὸν ambo *Fideles* esse, nisi quod ille nuperrime, hic multis retro annis Christianae militiae nomen dedit, ut vix uno Baptismi tempore alter ab altero distet. Atque hinc habes lepidam nostri marmoris ἀντίθεσιν, quod cum binos exhibeat eadem in urna adolescentulos, natu majorem *Neophytum* esse monet h. e.

XVI. Alterum Gruteri marmor eſt pag. 1061. 3. in quo habet *Sylvinum Neophytum*, quem porro Scaliger inter cognominum indices refert; at in ejus ſententiam, niſi teſtes, ac tabulas produxerit, numquam diſcedam (75). Nam *Leonem*, *Ruſillum*, *Sylveſtram* Reineſius (76), *Iovinam*, *Octaviam* Gruterus (77), *Romanum* Paſſioneus (78), *Peticium Habentium* Donius (79), *Viminatem*, *Victorinum* Maffejus (80), atque alii alios paſſim habent, quos *Neophytos* vocant; at nulli certe hactenus in mentem venit, ut novum ex illo ſibi nomen confingerent: quid ergo eſt, quod unum *Sylvinum* egregium praeter ceteros habuerit Scaliger, ut cognomento *Neophytum* adfirmaret (81)? Noſtrum tamen *Neophytum* nomen eſſe, niſi qui meridiana in luce caecutire velit, fateatur neceſſe eſt; quippe ei lapis poſitus eſt. Quae

h. e. recens baptizatum, minorem vero *Fidelem*, h.e. multo ante ſacris aquis immerſum, contra id, quod fieri deberet. Tum ut luſus magis eluceat, eos *Fratres* appellat, non germanos mea quidem ſententia, ſed quo ſenſu olim Fideles inter ſe *Fratres*, atque *ἀδελφοὶ* audire ſolebant. Ceterum aut profer meliora; ſi non, his utere mecum.

[75] Id ipſum de *Benerito Neophito* dicas apud Maffejum Muſ. Veron. 358. 9. *Innocentio Neophito* apud Vignol. Inſcript. Select. p. 333. II.

[76] Rein. Claſſ. XX. 21. 166. 188. *Ruſillum* habet etiam Aringh. tom. 2. p. 173.

[77] Grut. 1054. 1. 1053. 7. *Iovina* eſt & apud Don. XX. 50.

[78] Paſſion. Claſſ. XII. 82.

[79] Don. XX. 64.

[80] Maff. Muſ. Ver. 180. 3. 282. 2.

[81] Ne ſubleſtam mihi fidem quis exprobret, quod ea, quae mihi incommoda ſunt, malitioſus ſilentio premam, ultro fateor, inante diem XIII. Kal. Februarias *Neophytum Martyrem* occurrere. Verum enimvero quum una hirundo ver non efficiat, atque inter frequentiſſimas Chriſtianorum copias vix unus eo nomine miles ſe nobis det, adhuc adfirmari poterat cognomen non eſſe, ac *Neophytum Martyrem* perinde ſe habere, atque *ex Neophyto Martyrem*; quo ſenſu *Neophytum Presbyterum*, atque *Epiſcopum* habent veteres Eccleſiae canones, & quidem frequentiores, quam ut exemplis afferendis immorer. Nunc noſter ei *Neophytus* ad rem auxilio venit, eique veluti porrecta dextera inter nomina ſedere jubet; atque ita quidem, ut eum inde nemo deinde ſubmovere auſit.

Quae quidem eo dixi, quo majus meo marmori pretium irrogetur: inde enim Chriſtiani cenſus tabulae *Neophyti* nomine creſcunt.

XVII. Huc vero maxime pertinet Epigraphe ex iis, quas meae habent ſchedulae, quam quidem ſine piaculo praeterire non poſſem: L. NEOFII . LITTERATI . IN . PACE. Primum L, niſi in Grammaticorum ſcopulos impingere velis, *Locum* reſtitue: patrius enim *Neophyti litterati* caſus recto per ſe ſtare talo non poterit, quin aliud ei nomen auxilio veniat; re ceteroquin in vetuſtis lapidibus (82) valde familiari. *Litteratum* autem heic *litteris illuſtrem* non eſſe opinor. Nam praeterquamquod primaeva Eccleſia ab hujuſmodi laudibus ſuopte ingenio abhorrebat; tum ſi ab litterarum gloria adeo Neophytus hic floruiſſet, ut eo nomine eſſet poſteritati commendandus, profecto de tanto Viro, ac tam de re litteraria merito aut aliquod ad hanc aetatem perennaſſet monumentum, aut certe aliquantula penes Scriptores memoria (83). Malo itaque *litteratum* στιγμα-

τίαν

[82] Rein. XII. 37. *L. Aur. Florentini*: & XVI. 134. *L. Bardiae Progenitae*. Sert. Vrſ. Mon. Patav. p. 290. *L. S. Q. Vitori Q. F.* primas litteras verte *Locus Sepulturae*. Denique cui non nota ſollemnis illa formula L. D. D. D. *Locus Datus Decreto Decurionum?* *Locum* autem pro ſepulchro uſurpari res vulgatior eſt, quam ut teſtibus egeat. Murat. 1857. 1. *Locus Dec. Cubicularj*: Don. XX. 36. *Locus Valeriani Chartarj*: Rein. XX. 424. *Locus Opportuni Circitoris*: Murat. 1911. 4. *Locus Maſumillae Aurificis cum Sevarino*, & alibi paſſim. Hinc *locum virginem* apud Fabrett. invenies p. 53. n. 309. h. e. *κενοτάφιον adhuc non dedicatum*. Rem plane conficit Grut. 861. 13. *Hoc monumentum, ſive locum*. Vid. Cang. Gloſſ. Latin. ad vocem *locus*; praeſertim vero Mazoch. de Ded. ſub Aſcia p. 145. n. 192. qui hinc factum opinatur, ut in vetere Onomaſtico verbum *loco* tantumdem ſit, quod Θάπτω, h. e. ſepelio. Idipſum habeto de Graeco τόπος: vide Cangium ad eam vocem.

(83) Maximum huic conjecturae pondus inde accedit, quod primaevae Eccleſiae Fideles aut ferme nullos, aut certe vix pauciſſimos ab litteris valuiſſe conſtet; quod quidem multa ſunt, quae neceſſario evincunt. I. Divi Pauli,

Ter-

τίαν h. e. *litteris inuftum* intelligere, quo fenfu *litteratos* vocat fervos (84) Plautus. Nempe quum infenfis Chriftiani nominis hoftibus id unum opus fuerit, ut nullum fibi de manibus elabi locum paterentur, quo Chriftianos homines novis deinceps tormentis afficerent; profecto verifimile non eft & huic fuppliciorum exemplo peperciffe, quo viliffimos rerum fervos, ac milites affligebant (85).

XVIII.

Tertulliani, Arnobii, Hieronymi, aliorumque Chriftianorum apertiffimae id ultro fatentium auctoritates. II. Caecilii apud Minucium, Luciani, Celfi apud Origenem, ceterorum denique Catholici nominis hoftium egregiam Chriftianis infcitiam ad naufeam exprobrantium confenfus. III. Primorum Fidelium, fi quid olim chartis commiferunt, ftylus fimplicitatem, atque *ἀμουσολογίαν* prorfus redolens; cujufmodi certe prae fe fert Clemens Romanus, Hermas, Ignatius, Polycarpus, ceteri denique Apoftolis fuppares. IV. Chriftianorum lapidum eximia, ultra quam credi poffit, barbaries. V. Fidelium frequentia, quos viliffimas fordidafque artes exercuiffe conftat, quofque ineruditis accenfendos ipfa per fe res loquitur. Hujus certe furfuris funt Caligarii, Vnguentarii, Caupones, Pigmentarii, Placentarii, Bajuli, Doliarii, Olitores, Suarii, Copiatae, Velarii, Tonfores, Sutores, Calceolarii, Fenarii, Flaturarii, Lanii, Paftillarii, Tinctores, Coementarii, Helciarii, atque id genus fexcenti, quorum fatis amplam fegetem Chriftiana fuppeditant marmora; tum fi qui forte nobilium eruderantur lapides, plerumque fequioris funt aevi. VI. Reliquarum etiam artium non mediocris infcitia: nam quae ad hanc diem fuperfunt pictae tabulae, aut anaglypha rude admodum ejus aetatis ingenium fatis arguunt. VII. Denique impervii ipfi Divinorum Confiliorum tramites ei rei confentire videntur; cum enim inter imperitos, fimplicefque homines, adhaec furentes Gentium catervas adhuc Catholica res magnis auctibus in dies coaluerit, nullus fupereft ambigendi locus, Chriftianae rei molem Divini prorfus Confilii opus effe; atque ejus rei nullam fibi partem aut divitias, fumofafque imagines, aut denique litteras ufurpare.

(84) Caf. II. 6. 49. *Si hic litteratus me finat*. Apul. lib. 9. *frontes litterati*; Lipf. legit *liturati*. Petron. Sat. 63. appellat *notum fugitivorum epigramma*. Ceterum ne coctam cramben recoquam, praeter innumeros, qui de Stigmatifmo pertractarunt, lege Potter. Archaeol. lib. I. c. 10. Lipf. Elect. II. 15. Barth. Adverf. XLIII. 25. inde enim non parum luminis Chriftianis etiam Stigmaticis accedet.

(85) Id eo vel maxime, quod reos criminum capitalium, quales certe cenfebantur Chriftiani, pari jure ac fervos habebant, fcilicet poenae fervos, ut loqui amant Iurifconfulti. Egregium ejus rei exem-

XVIII. Sed ecce tibi ipſiſſimos Antiquitatis teſtes. De Flaviano enim monet Martyrologium inante diem XI. Kal. Ianuarias: *Romae Sancti Flaviani Expraefecti, qui ſub Iuliano Apoſtata pro Chriſto inſcriptione damnatus, & ad Aquas Taurinas in exilium miſſus illic orans ſpiritum Deo reddidit.* Ad quae quidem verba ſubdit Baronius: *Ejuſmodi ignominia affici ſolitos Chriſtianos Confeſſores docet Pontius Diaconus in vita S. Cypriani, dum ait: quis denique Confeſſores frontium notatarum ſecunda inſcriptione ſignatos, & ad exemplum martyrii ſuperſtites reſervatos incentivo tubae coeleſtis animaret?* (86) Flaviano comites ſe dant Theophanes, ac Theodorus, quorum vultus longo ſcriptionis genere faedavit Theophilus Iconoclaſta (87). At vero vox NEOFII pro NEOFITI id meo quidem judicio non ſuadet modo, ſed & omnino jubet: quis enim lapicidam ceteroquin diligentiſſimum breviſſimo in titulo oſcitantiae inſimulabit, quod I pro T ſcalpſerit? (88) Malo itaque inter-

xemplum ſuppeditat Baſiliſcus Martyr, de quo habent ejus Acta: *Alligaverunt duabus catenis, & collaria impoſuerunt circa collum ejus.* At collaria ſervorum fuiſſe res eſt ſatis protrita. Eorum plura cum appoſitis lemmatis, quibus fugitivi ad dominum revocabantur, refert Fabrettus p. 522. Sed & de Chriſtiano Stigmatiſmo praeter Aringh. lib. 1. c. 26. p. 133. vide Gallonium De Ss. MM. Cruciatibus, cap. 9. & Mamach. Orig. Eccleſ. lib. 3. c. 1. §. 21.

(86) Si quid divinando conjicere poſſum, eos praeſertim ſtigmate inuſtos crediderim, qui a Gentibus ad Chriſtianorum caſtra confugerant: quippe eo ſuppliciorum genere fugitivos praeſertim ſervos, ac transfugas milites afficiebant; & fortaſſe illud ipſum C uſurpabant, quo & vetus *Cave*, & novum Chriſtianorum nomen innuerent.

(87) Refert Cedrenus Comp. Hiſt. in Theophil. Extat etiam apud Metaphraſten Theophanis, ac Theodori Fratrum Epiſtola ad Cyzici Epiſcopum, qua integer martyrii conſpectus exhibetur. Vide & Gallonium ub. ſupra.

(88) Ne cui ſermonem dem, ultro per me fateor I pro T non ſemel occurrere. Sic SIATILIA pro STATILIA habet Bonarrotius *Oſſerv. ſop. i Vetri* p. 17. IHALVSA pro THALVSA Lup. p. 115. EI pro ET id. p. 140. Nec ſane quidquam facilius accidere poteſt, quam ut tranſverſa lineola exce-

interjecto puncto, quod ipsa fortasse aetas abrasit; aut certe somniculosi scriptoris diligentia non advertit, legere NEOF. II. h. e. NEOFITI BIS (89). Ita integer sibi constat marmoris sensus: *Locus Neophyti bis litterati in Pace*. Quod profecto quum in Neophyti gloriam caderet, ne rei memoria efflueret, marmoreo titulo consignavit nostri Epigrammatis auctor.

V. 2. & 3. ΠΡΕϹΒΥΤΕΝΚΩΜΗ

XIX. Profecto his verbis Ἐκκλησίας ἐν κώμῃ *Vicanae Ecclesiae* Praefecturam innui, ii per se facile intelligent, qui Graecorum locutiones compertas habent. Itaque πρεσβύτερον ἐν κώμῃ perinde habeas, atque ἐπίσκοπον ἐν Γαλατίᾳ, ἐν Καππαδοκίᾳ *Galatarum*, *aut Cappadocum Ecclesiae Episcopum* (90).

XX. Atque ecce tibi tertio ineunte saeculo Vicanas Ecclesias, & constitutos in eis Presbyteros, quae quidem ipsissima est *Ruralium Paroeciarum* notio. Vides autem vel uno hoc nomine marmor nostrum quolibet cimelio pretiosius esse. Scimus enim Thomassinum, Bohemerum, Espenium (91), Suicerum, alios denique primi sub-

excedat; aut certe fallente scalpro unum elementum alteri applicetur. Ea de caussa invenies I pro L, E pro F. Sed cum perbelle explicari possit Epigraphe, neque in ceteris vocibus scalptor negligentiae deprehendi possit, quid est, quod heic tam brevi scriptionis ambitu ei somnum obrepsisse credamus?

(89) II. pro *bis* in lapidibus est oppido frequens. Sic IMM. II. *Immunis Bis* apud Grut. 99. 1. II. VOTA *Secunda Vota* 78.6. II. M. *Bis Miles* 546. 3.

(90) Eo sensu habes in Concil. Antioch. c. 10. ἐπισκόπους ἐν χώραις: & in Laod. c. 57. ἐπισκόπους ἐν ταῖς κώμαις, καὶ ἐν ταῖς χώραις, *Episcopos in pagis*: hinc χωρεπίσκοποι.

(91) Espenius part. 1. tit. 3. c. 1. §. 2. & in Supplemento nuperrime edito Neapoli part. 2. tract. 6. c. 1. §. 1. a primis usque saeculis praepositos Ecclesiis Presbyteros contendit: id vero ut evincat, Athanasii auctoritatem profert: nimirum tria saecula, atque adeo fer-

subsellii viros (92), Rusticas hujusmodi Ecclesias ad Constantini tempora rejicere; qui sane si caput e tumulo tollerent, Neophyto nostro diem dicerent, eumque a γνησιότητος possessione dejiciendum pronuntiarent. Cum vero is vix ad luminis auras evasit, forte fortuna se suaque omnia meae fidei permiserit; meae nunc erunt partes, eum ab νοθείας infamia liberare. Paganas itaque Ecclesias non modo ad ea tempora non referendas existimo, quibus Christo honorem publice exhiberi per Constantinum licuit; sed earum nonnullas ab ultimis ipsis Apostolorum temporibus derivandas: ceteras hac illac identidem pro re nata excitatas; donec quarto demum Ecclesiae saeculo omnes omnibus in locis constitutae fuerint; atque ita quidem, ut ab vicanis ad urbicas παροικίας deventum sit.

XXI. Et re quidem vera illud satis constat, Catholicam veritatem ab ipsis Christianae rei incunabulis non per urbes tantum, & conspectissima regionum loca, sed & per interiores vicos, pagosque brevi temporis spatio disseminatam (93). Quod quidem, quoniam omnis hinc caussa pendet, solidioribus rationum momentis con-

me quatuor uno haustu absumpsit, ut vel quadrigentis retro annis natam Ecclesiam adhuc infantem existimaverit. Profecto, Espenio judice, eam nostra aetate vix adolescere credas.

(92) Vt suus autem cuique stet honor, Dominicus Cavallarius Inst. Iur. Can. part. 1. c. 16. §. V. ab tertio medio saeculo Rurales Ecclesias derivat. Illum autem honoris gratia nominare hic libuit; quippe eo familiariter utor antiquae fidei homine, & Canonum supra fidem doctissimo; cujus quidem Canonicas Institutiones Ecclesiasticae Antiquitatis promptuarium rectius dixeris. Binghamus vero Orig. Eccles. lib. 9. c. 8. παροικίας altius repetit; sed rem innuere potius, quam probare videtur.

(93) Atqui Salmasius de Episcopis pag. 103. *Ad pagos*, ait, *quod attinet*, *&* κώμας, *Apostolorum saeculo vix putem in his Ecclesias aliquas esse fundatas, cum vix tanta esset Fidelium copia, ut per pagos quiret propagari. . . Tempore itaque Apostolorum per solas civitates religio Christiana pangebatur.*

firmare praeſtat, quantum commentarioli ratio patitur.

XXII. Primus itaque in ſcenam prodeat Euſebius, (94) qui de Chriſtianorum primordiis ab ipſo Chriſti in Caelos abitu, teſtatur: καὶ δῆτα ἀνὰ πάσας πόλεις τε, καὶ κώμας πληθυούσης ἅλωνος δίκην μυριάνδροι, καὶ παμπληθεῖς ἀθρόως ἐκκλησίαι συνεστήκεσαν: *Per omnes igitur civitates, & vicos Eccleſiae infinita hominum multitudine abundantes, velut areae quaedam frugibus refertae, brevi congregatae ſunt*. Cui quidem ſacri ipſi Scriptores facem praetulerant. Nam Lucas (95): Ἐξερχόμενοι δὲ διήρχοντο κατὰ τὰς κώμας εὐαγγελιζόμενοι: *Exeuntes autem circuibant per vicos evangelizantes*. Adhaec (96) quum diſperſos hac illac Chriſtianos referat κατὰ τὰς χώρας (97) τῆς Ἰουδαίας, καὶ Σαμαρείας, *per vicos Iudaeae, ac Samariae*, uti irruentes Iudaeorum turbines declinarent, ſubdit (98): Οἱ μὲν διασπαρέντες διῆλθον εὐαγγελιζόμενοι τὸν λόγον: *Et qui erant diſperſi pertranſibant evangelizantes verbum*. Sed & luculentius habet de Petro, ac Ioanne

(94) Euſeb.Hiſt. Eccl. lib.2. c.3.

(95) Evang. c.9. v.6.

(96) Act. Apoſtol. c.8. v.1.

(97) Heic autem τὰς χώρας *vicos* eſſe, non *regiones* ipſa per ſe ratio poſtulare videtur: quippe inter obortas tempeſtates, ut inquirentium oculis ſeſe ſurriperent, vicorum latebris potius contineri, quam in frequentiores regiones ſe conjicere debebant. At χώραν non *regionem* tantum, ſed & *vicum* ſignificare teſtantur Thucydides, Ariſtoteles, Demoſthenes, quod & de τῷ χώρῳ patet per Xen. Paed. 7. Hinc χωρίον *villula*; unde & χωρίτης *ruſticus*; & apud Lucianum ἡ χωρῖτις *villica*. Apud Heſiod. χρῆμ' ἐγχώριον, *res, quae inter agreſtes agitur*: ubi adverte pro ἐγχώριον alios legere ἐγκώμιον: adeo χώρα, καὶ κώμη ſibi mutuo reſpondent. Atque hinc περίχωρος *vici omnes circa urbem*, Iuriſconſultis eſt *territorium, ſeu univerſitas agrorum intra fines cujuſque civitatis, intra quos juris dicundi jus erat*. Denique cui non noti χωρεπίσκοποι h. e. τῶν χωρῶν ἐπίσκοποι, *vicorum Epiſcopi*? quos quidem Synodus Neocaeſarienſis πρεσβυτέρους ἐπιχωρίους, Antiochena ἐπισκόπους ἐν χώραις, Laodicena ἐπισκόπους ἐν κώμαις dicit. At ne plura, Carthaginienſis Collatio urbium Epiſcopos opponit Epiſcopis ἐν κώμαις, ἢ χώραις *in pagis, viciſque*.

(98) Act. Apoſt. c. 8. v.4.

ne [99]: Πολλάς τε κώμας τῶν Σαμαρειτῶν εὐαγγελίσαντο: *Multosque Samaritanorum vicos Evangelio instruxerunt*. Denique Apostolos ait, inter eos, quibus undique premebantur, periculorum fluctus ad Lycaoniae civitates sese recepisse Lystram, ac Derben, καὶ τὴν περίχωρον, *& finitimos vicos*; κἀκεῖ ἦσαν εὐαγγελιζόμενοι, *& erant ibi evangelizantes* [100]. Vicorum autem Lyddae, ac Saronae incolas [101] consulto praetereo, de quibus habet: οἵτινες ἐπέστρεψαν ἐπὶ τὸν Κύριον, *qui conversi sunt ad Dominum* [102]. Sed & ab Apostolis minime sejungendus Barnabas, qui vel vivens ab eis numquam

 di-

(99) Ib. v. 25.
(100) Ib. c. 14. v. 6.
(101) Ib. c. 9. v. 35. καὶ εἶδον αὐτὸν πάντες οἱ κατοικοῦντες Λύδδαν, καὶ τὸν Σάρωνα, *& viderunt eum* (Petrum) *omnes, qui habitabant Lyddam, & Saronam*. At vero *Lyddam* vicum esse ad occasum Iordanis testatur Iosephus lib. 20. Antiquit. c. 5. qui eum vocat κώμην πόλεως τὸ μέγεθος οὐκ ἀποδέουσαν; *vicum nulli civitati magnitudine cedentem*. Τὸν Σάρωνα vero vicum esse cis Iordanem ab urbe Sarona trans eum fluvium prorsus distinctum, ab apposito masculino articulo eruunt viri eruditi. Vide ea de re Criticos Sacros.

[102] Solidissima vero heic mihi nascitur conjectura, Apostolos praecipuam ingenii vim eo contulisse, ut vicanos homines ad Christi ovile perducerent; quippe eorum plerique ex vicis erant oriundi. Nam cum quoslibet vel alienos ab heterodoxa labe prohibuerint, quantam pro iis diligentiam adhibuisse fatendum est, quibuscum consanguinitatis juribus obstringebantur? Anne qui ad ultimos terrarum angulos Catholicam veritatem diffundere satagebant, compaganos suos in tenebris versari siccis oculis adspicerent? Immo vero nemo mihi eripiet, in reliquis etiam orbis partibus illustrandis eo potissimos industriae suae nervos intendisse, ut vicis Evangelicae lucis radios inducerent. Ita enim natura comparati sumus, ut adversus eos, quibuscum patriae, aut artis conditione conjungimur, simus nescio quo pacto procliviores. At vero Apostolos vicanos homines fuisse, explorata res est. De Ioanne Auctor Notitiae Evangelistar. MS. in Cod. Laurent. qui quidem Theophilactus est: καὶ γὰρ δὲ καὶ ἡ πατρὶς αὐτοῦ εὐτελέστη, καὶ ἄσημος, ὡς χωρίον εἶναι, οὐ λογικῆς, ἀλλ' ἀλιευτικῆς τέχνης: *Etenim patria ejus quoque vilissima, ita ut esset non nobilis, sed piscatoriae artis vicus*. Et in Catena Var. PP. in IV. Evangelistas MS. in eadem Laurentiana Biblioth. Ioannis patria perhibetur κώμη εὐτελὴς ἀπὸ Βεθσαϊδὰ Γαλιλαίας, *vicus vilis Bethsaidae Galilaeae*. In Const. Apost. lib. 2. c. 63. Apostoli *piscatores*, *& agricolae*

discessit. Eum autem complures vicos Evangelicis triumphis peragrasse plenis buccis eloquitur pseudo-Ioannes Marcus (103) in ejus Actis.

XXIII. His adstipulatur Clemens Apostolis coaevus (104), qui eos ait κατὰ χώρας, καὶ πόλεις κηρύσσειν *per vicos, & urbes praedicare*. Tum ipsemet auctor est, Petrum Antiochia Romam usque frequentioribus urbibus eo consilio constitisse, ut illuc ad Christi Evangelium ex finitimis urbibus, vicisque gentes confluerent (105). Clementi concinit Prochorus Diaconus, qui de Ioanne: *Per septem menses circuiens vicos, & castella evangelizando verbum insulam reliquit* [106]. Adde Plinium, ac

lae appellantur; & ex Edit. Boviana *Iudas, & Iacobus* (Cotelerius legit *Iudas Iacobi*) *agricolae* audiunt; ejusque rei testes advocantur Hegesyppus, ac Tertullianus. In Indiculo Nominum Apostolorum MS. ex Bibliotheca Regis Christianissimi apud Cotelerium, Bartholomaeus dicitur *pascuum cultor, seu olerum sator*. Hinc Arn. adv. Gent. 1. Apostolos vocat, & quidem pluries *Rusticos*; Chrys. Serm. de Pent. *Vinitores*; & Hom. 8. in c. 2. Act. Ap. *Agrestes fuci expertes*; Petrus Chrysologus Serm. 28. *loco humiles, pauperes censu*. Syn. Mediol. an. 671. *Ruricolas*. Vide Lamium *de Eruditione Apostolorum*.

[103] Nam ibi praeter complusculas ignoti nominis terras, occurrunt vici *Isauria Palaea, Lampadistae, Ledrorum, Limnetis*. Vide Mazoch. ad Kalend. Neap. p. 545. & seq.

(104) Ad Corinth. I. c. 42.

(105) Sane c. 49. de Gestis Petri: *Porro cum Petrus Tripolim ingrederetur, multi eorum, qui discendi cupidiores erant, ex Tyro, Sydone, Beryto, ac Byblo concurrerunt*. Et Hom. 7. c. 1. Petro ἀπήντων πλησιόχωροί τε οὐκ ὀλίγοι, *processerunt obviam finitimi non pauci*. Ac multo quidem luculentius Hom. 12. c. 1. & Epit. de Gest. Petri 70. Orthosiam profectos ait, ibique vix unam dieculam commoratos, quod ex Tripolis suburbiis esset, πάντων σχεδὸν προακηκοότων τὰ τοῦ κηρύγματος, *quum omnes fere praedicationem Evangelii prius audissent*. Vides hinc ex vicis, pagisque ad principes urbes undeunde confluere, ibique adeo Christianis dogmatis imbui, ut in pagis commorari supervacaneum ducerent Apostoli.

[106] Re quidem vera ibidem c. 19. memoratur *Lyphon* vicus, in quo plures baptizavit: & c. 38. *Phlago, ac ceteri deserti loci*. Illud interim heic advertas, Ioannis vitam pseudo-Prochoro adscriptam, etsi nullo penitus dissentiente, praeter Auct. Bibl. PP. tom. 2. apochrypha sit, vetustissimam tamen esse. Vidend. Baronius ad an. 44. n. 30. & 99. Voss. de Hist. Gr.

ac Iustinum; quorum ille in Epistola ad Trajanum (107): *Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam, atque agros superstitionis istius contagio pervagata.* Hic vero Apol. II. (108) καὶ τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγρους μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται: *Solis qui dicitur die, omnium, qui vel in urbibus, vel in agris degunt, in eumdem locum conventus fit.* Nec certe praetereundus Tertullianus, qui inquit (109): *Obsessam vociferantur civitatem in agris, in castellis, in insulis Christianos.* Et alibi (110): *Hesterni sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula (111), castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum: sola vobis reliquimus templa.* Et (112): *Navigamus & nos vobiscum, & militamus, & rusticamur, & mercamur.* Perbelle huc faciunt Luciani martyris Crucem constantissime confitentis verba (113): *Quae autem dico non sunt in obscuro gesta loco, nec testibus indigent: pars pene mundi jam major huic veritati adstipulatur; aut si quid in his suspectum videtur, contestatur de his etiam agrestis manus (114) ignara figmenti.* Denique Lucianus (115)

Gr. lib.2. Bellarm. de Script. Eccl.

[107] His profecto verbis acceptam refert res litterarum publica doctissimam Boehmeri Diatribam *De Christianorum coetibus in vicis, & agris.*

[108] Pag. 98. edit. Colon.

[109] Apol. adv. Gent. c. I.

[110] Ib. cap. 37.

[111] Quid sibi velint *Conciliabula* aperte significat Isid. lib. 15. c. 2. *Pagi sunt apta aedificiis loca inter agros habitantibus. Haec & Conciliabula dicta a conventu, & societate multorum in unum.* Ceterum elegantes de eo vocabulo lautitias meis veluti commodis natas ex intimo Antiquitatis penu ἀρχαιολόγοις gustandas apposuit Mazoch. ad Tab. Heracl. p. 399. & seq.

(112) Apol. c. 42.

(113) Apud Bolland. tom. I. Act. SS. ad diem VII. Ian. ex Rufino, & Cod. MS.

(114) Primaevos Fideles ab agrorum cultu minime abhorruisse scimus; eoque factum, ut eorum nonnulli, relicta urbe, in agris habitarent; cujus rei non unum spon-

(115) Fidelem quemdam ἐξ ὀρέων παραγενόμενον *ex montibus venientem* refert; ut ibi Christianorum nonnullos habitasse fatendum sit.

XXIV. At vero uberrimam heic supra ceteros locorum segetem suppeditat Eusebius, quem ea de caussa in scenam iterum prodire cogam. Nam (praeter vicum *Hardaba* (116), cujus νεοπίστους h. e. *recens baptizatos* refert) Christianos sub Decio in teterrimam temporum asperitatem adeo conjectos adserit, ut eorum complures κατὰ πόλεις, καὶ κώμας *per urbes, & vicos* (117) fuerint discerpti. Adhaec Dionysium Alexandrinum sub Valeriano exilio mulctatum ait εἰς κώμην πλησίον τῆς ἐρήμου καλουμένην Κεφρώ, *in vicum solitudini proximum, qui vocabatur Cephro* (118), quem sane locum ne fando quidem audiverat: at ibi θύραν ὁ θεὸς ἀνέῳξε τοῦ λόγου: *januam Deus patefecit ad praedicandum*. Sub Gallieno vero (119) occurrunt οἱ διδάσκαλοι τῶν ἐν ταῖς κώμαις ἀδελ-

sponsorem tibi dabo. Iudae nepotes paterna rura exercentes vitam tolerasse tradit Eusebius ex Hegesyppo lib. 3. Hist. Eccl. c.20. Id. lib. 6. c.29. auctor est, Fabianum Romanae urbis Episcopum ex agro Romam advenisse: ac lib.7. c.12. de quibusdam martyribus ait: τούτους φασὶ κατ' ἀγρὸν οἰκοῦντας, *hos ferunt in agris habitasse*, quod refert etiam Ruf. lib.7. Hist. Eccl. c. 2. S. Spiridionem agricolam etiam fuisse, & ovium pastorem testatur Sozom. lib. 1. Hist. Eccl. c. 11. & Cassiod. Hist. Trip. lib. 1. c. 10. Sed & apud Ruinart. §. 32. *Advenit autem eodem juxta condictum ex vico malo presbyter Fronto ferens annulum sancti Martyris, quem dederat ei reliquiarum caussa, habens etiam secum jumentum vino veteri onustum: agriculturam enim exercet egregius iste vir*. Ceterum praeter agriculturae laudes, quas multo sermone prosequitur Clem. Alex. lib. 3. Paed. c. 10. *Leonem* agricolam habet Fabret. c.8.p.574. *Ascasium Ortolanum* Donius ex edit. Gor. Class. XX. p.540. n.76. Bubulcos denique, Colonos, Horrearios, Frumentarios, Olitores, Pastores, Rusticos, Vinitores, atque hujus generis alios vetustissima Christianorum monumenta.

[115] Dial. in Philopatr.

[116] Euseb. lib. 5. c. 16. vicus hic in Mysia Phrygiae contermina, ex qua oriundus Montanus.

[117] Eus. lib.6. c.42. ex Dionys. Alex.

[118] Id. lib. 7. c.11.

[119] Id. ib. c. 24. ex Dionys. adversus Nepotianum schisma.

ἀδελφῶν, *doctores, qui per singulos vicos fratribus praedicabant;* necnon ἐπίσκοποι τῶν ὁμόρων ἀγρῶν, *Episcopi vicinorum pagorum* (120). Πορφυρίτης (121) denique, quo quidem in loco non paucos martyrum centuriis accessisse refert. Quid quod Maximinus, uti Christiani de suo cultu non turbarentur, non magistratibus tantum, sed καὶ τοῖς κατ' ἀγροὺς ἐπιτεταγμένοις *Pagorum Praepositis* (122) ea de re litteras dedit? Age cui bono id, nisi & in pagis Fideles fuisse adfirmes? Hinc vero facile intellectu est, cur Licinio imperante (123) eo loci deducta res fuerit, ut μὴ ὅτι γε πόλιν, ἀλλ' οὐδὲ χώραν, οὐδ' ἐρημίαν οἰκεῖν, *non modo urbem, sed neque vicum, neque solitudinem habitare* daretur. Tum denique composita pace Constantinus Ecclesiae ad unum reddenda edixit, quae etiam per vicos (124) superioribus annis possederat. Quid plura? Dei verbum omnes ad Divinae disciplinae institutionem liberaliter invitasse ait (125), διατριβὰς καὶ διδα-

[120] Id. lib. 7. c.30. ex Actis adversus Paulum Samosatenum.

(121) Id. c. 8. de Martyr. Pal. Πορφυρίτην vero quum veterum nemo ne nominet quidem, ne dum urbibus accenseat, quovis posito pignore, vicum esse contendo.

(122) Id. Hist. Eccl. lib. 9. c. 1. Atque hoc quidem in caussa fuit, cur falsa illa adversus Ecclesiam Acta, uti omni ex parte innotescerent, κατὰ πάντα τόπον ἀγρούς τε, καὶ πόλεις, *per omnem locum agros, & urbes* per nundinas proponenda curarint Christiani nominis hostes apud Euseb. lib. 9. c. 5. In Actis Iustini Martyris: Ἐν τῷ καιρῷ τῶν ἀνόμων ὑπερμάχων τῆς εἰδωλολατρείας προστάγματα ἀσεβῆ κατὰ τῶν εὐσεβούντων χριστιανῶν κατὰ πόλιν καὶ χώραν ἐξετίθετο; *Tempore impiorum idololatriae propugnatorum dira edicta contra pios Christianos oppidatim, ac vicatim opponebantur.*

(123) Lib. 9. c. 10. In Actis etiam Theodoti Martyris an. 303. apud Ruinart: *Deerat fugitivis salutis locus . . . . per totam quippe vagantes solitudinem, & in speluncis, atque cavernis, ut quisque latebram invenerat, se continentes, non poterant diu quidem tolerare esuriem.* Et Euseb. lib. 6. c. 42. ex Dionys. Alex. epist. Τί δεῖ λέγειν τὸ πλῆθος τῶν ἐν ἐρημίαις καὶ ὄρεσι πλανηθέντων; *Iam quid opus est commemorare multitudinem eorum, qui in montibus, ac per solitudinem aberrabant?*

(124) Lib. 10. c. 5. Adde eumdem in vit. Constant.

(125) De laud. Constant. c. 11.

διδασκαλίας καθ' ὅλης τῆς τῶν ἐθνῶν οἰκουμένης πηξάμενος· ἔν τε χώραις καὶ κώμαις, ἀγροῖς τε καὶ ἐρημίαις, *instructis per universum orbem scholis, atque auditoriis in regionibus, & vicis, & agris, locisque desertis:* ut amplius mirari non subeat, τίς βαρβάρους, καὶ ἀγροίκους ἄνδρας θανάτου μὲν καταφρονεῖν ἐδίδαξε, *quis barbaros, & rusticos homines in agris degentes docuerit, ut mortem contemnerent* (126).

XXV. Postremo in agmine veluti subsidiariae restant Apostolorum, quas dicunt, Constitutiones, & Canones (127), in quibus Ἐκκλησίας ἐν πάσῃ παροικίᾳ *Ecclesias in omni Dioecesi* plus vice simplici videre est; quibus non principes tantum, atque urbanas, sed & rurales videntur innuere. Mitto denique, quae de Catholici nominis vel ad ultimos terrarum angulos incrementis multo sermone edisserunt quotquot Ecclesiae Fastos posteris tradiderunt (128); adeo ut in dubium revocari non possit ab ipsis Apostolorum temporibus ad Constantini aetatem non in urbibus tantum, sed & per vicos, pagosque Christianum nomen supra quam credi possit immensum crevisse.

XXVI. Quae cum ita se habeant, ecquis inficias ire poterit, Episcopos iis, qui in vico degerent suos adsignas-

(126) Id. ib. c.17.

(127) Can.Apost.27. ac 28. παροικία, καὶ αἱ ὑπ' αὐτὴν χῶραι, *paroecia, eique subjectae villae.* Παροικίαν vero antiquitus integram Episcopalem Dioecesim significasse ex Eusebio derivat Beveregius, ceterique Ecclesiasticae Philologiae Scriptores; at vero ab eorum auctoritatibus, ne crambe repetita lectores occidam, mihi temperandum in praesentia duco.

(128) Sit instar omnium Iust. Dial. cum Tryph. Iud. p. 345. & Tertull. advers. Iud. c. 7. *ut jam,* referente Lactantio de Mort. Pers. c. 3. p.55. *nullus esset terrarum angulus tam remotus, quo non religio penetrasset.* Et Instit. lib. 4. c.26. *nulla gens tam inhumana est, nulla regio tam remota, cui aut passio ejus, aut sublimitas majestatis ignota sit.* In eamdem denique sententiam conspirant ceteri Scriptores.

ſignaſſe Presbyteros? anne eos, quos immenſa ſollicitudinum contentione luporum fraudibus ſubductos ad Chriſti ovile ſuis veluti humeris perduxerant, ſibi unis reliquiſſe adfirmabimus? atque in tanto debacchantium Ethnicorum furore urbanos homines Paſtorum fidei commiſiſſe, vicanos vero, vix dato Chriſtianae militiae nomine, ſine duce & auſpice, inter irruentes hoſtium catervas petitionibus impune obnoxios objeciſſe? Nec eſt, quod urbium Epiſcopos fratribus in pago conſtitutis ipſos per ſe conſuluiſſe dicas: ex Chriſtiana enim Geographia (129) ſcimus, compluſculos vicos ab principe urbe non paucis milliaribus abfuiſſe; quibus profecto ſi Presbyterum dempſeris, quo pacto in doctrina Apoſtolorum, & fractione Panis, pro eo ac par erat, perſeverarint? eo vel maxime, quod ſtato die (130), atque antelucanis coetibus convenientes, ad Sacram de more Menſam (131) accede-

E re

(129) Singulis Geographiae partibus immorari inſtituti ratio non patitur. At heic adnotaſſe ſufficiat, nonnullas Aegypti Dioeceſes triginta millia paſſuum patuiſſe; immo & alias ferme quinquaginta, uti Carolus a S. Paulo, Myraeus, atque alii veterum Epiſcopatuum deſcriptores obſervant. Illud etiam non praetereundum, quod huc maxime facit, vel remotiſſimos ab urbe vicos, quoad oppidani Magiſtratus jus pateret, ſuburbiis quoque accenſendos. Ita Canopus Alexandriae προάστειον dicitur in Actis Concil. Chalced. etſi inde milliaribus XII. diſtaret: quemadmodum apud Procopium Decimus Conſtantinopolis ſuburbium perhibetur, a quo ſtadiis LXX. aberat. Videndus doctiſſimus Iuſtellus Notis in Cod. Can. p. 82.

(130) De Stato Chriſtianorum Die vide Boehmeri Diſſ. I. ad illa Plinii verba ad Trajanum: *Quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem ſurgere. Solis diem* appellat Iuſtinus. *Antelucanos* vero *coetus* praeter allata Plinii verba, habet Tertullianus lib. de Cor. c. 3. quos lib. 2. ad uxor. c. 4. appellat *nocturnas convocationes*. Hinc Chriſtianorum natio Caecilio apud Minutium Felicem audit *latebroſa, lucifugax, in publicum muta, in angulis garrula, nocturnis congregationibus foederata*. Et Celſus apud Orig. lib. 1. Chriſtianis *clancularios conventus* exprobrat. Vid. Boehm. Diſſ. II. & Bingh. tom. 1.

(131) Chriſtianos prioribus Eccleſiae ſaeculis nullatenus convenire ſolitos, quin Euchariſtico Pane reficerentur, explorata res eſt. In

id

re ſolerent; urbanis vero Presbyteris non ſemper ad eos pro lubidine pateret aditus.

XXVII. Adhaec primaevae Eccleſiae, praeſertim Alexandrinae, in more fuiſſe poſitum ſcimus, ut Epiſcopus poenitentes Eccleſiaſticae communioni reſtitueret; Presbyteri vero vix abſente Epiſcopo, aut urgente mortis diſcrimine (132). At vero ſi poenitentibus, qui ab urbe longius aberant aliquid praeter exſpectationem accideret, ut de capite dimicarent, urbanusne Presbyter (133) continuo arceſſendus, qui Sagunto opem ferret? Itaque primaeva potius Eccleſiae caritas efflagitare videbatur, ut pagis ſaltim ab urbe remotioribus ſuos Epiſcopi conſtituerent Presbyteros, qui, ſi quid urgeret, per ſe ſtatim adeſſent, ac poenitentibus pacem de more largirentur (134): qui quidem vicani Presbyteri Epiſcopo, cui ſub-

id enim Iuſtinus Apol. ad Anton. Pium, Tertull. De Cor. Mil. c. 3. Clemens Alex. Strom. lib. 1. Cyprian. Ep. 12. ceteri ad unum conſentiunt. Eorum auctoritates habentur apud Binghamum lib. 15. c. 8. & 9. & Bevereg. ad Can. Apoſtol. Fortaſſe id ipſum innuit Plinius, quum Chriſtianos antelucanis coetibus Sacramento ſeſe obſtringere ſolitos ait, ne quid mali perpetrarent.

(132) Quid vero Thomaſſino facias de Benef. part. 1. lib. 2. c. 21. §. 5. qui hoc ipſum pro ſe ſtare triumphat? *quod moris*, ait, *inde originem traxit*, *quod antiquiſſimis temporibus non eſſent Eccleſiae, non Presbyteri*, *niſi in urbibus*, *& cum Epiſcopo*: nempe amphora coepit inſtitui, urceus exit: immo vero ſua ipſemet vineta ſuccidit.

(133) Ex Cypriano, aliiſque colligimus, morientibus haud denegatam reconciliationem. Hiſpanienſis vero Eccleſiae diſciplina multo ſeverior, ut ex Illiberitanis Canonibus.

(134) De ſuo quidem tempore teſtatur Epiphanius in haer. Arianorum: *Ὅσαι γὰρ ἐκκλησίαι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ὑπὸ ἕνα ἀρχιεπίσκοπον οὖσαι, καὶ κατ' ἰδίαν ταύταις ἐπιτεταγμένοι εἰσὶ πρεσβύτεροι διὰ τὰς ἐκκλησιάστικας χρείας τῶν οἰκητόρων, πλησίων ἑκάστης ἐκκλησίας αὐτῶν, καὶ ἀμφόδων, ἤτοι λαυρῶν ἐπιχωρίως καλουμένων ὑπὸ τῶν τὴν Ἀλεξανδρέων κατοικούντων πόλιν.* *Omnes enim Eccleſiae Catholicae communionis in urbe Alexandrina ſubjectae ſunt uni Archiepiſcopo; ſeorſum vero ſingulis praepoſiti ſunt Presbyteri, propter Eccleſiaſticas civium neceſſitates, habentque domicilia juxta ſuam quiſque Eccleſiam, ſive ad vicos, quos Alexandrini Lauras vocant.*

ſuberant pagi, & ipſi ſubjicerentur, conventiculis tamen ipſi per ſe praeeſſent.

XXVIII. At vero ne propria tantum in pelle quieviſſe me credas, praeſtat veteres ipſos adire, eos certe, qui ſe mihi inter ſcribendum vel feſtinanti obviam dederunt. Ac Theodoretus quidem (135) Pauli ποιμένας, καὶ διδασκάλους *paſtores, & doctores;* τοὺς κατὰ πόλιν, καὶ κώμην ἀφορισμένους, *eos, qui in civitate, & pago deputati, ac ſegregati erant*, intelligit. Adde quod Lucas (136) Paulum, ac Barnabam Presbyteros κατ' ἐκκλησίαν *per ſingulas Eccleſias* conſtituiſſe refert; at vero eodem capite praedicatum ait Evangelium per urbes, καὶ τὴν περίχωρον, *& finitimos vicos*, ut conſtitutos fatendum ſit Presbyteros non in urbibus tantum, ſed & in Eccleſiis ἐν τῇ περιχώρῳ *vicinorum pagorum:* ex Euſebio (137) enim accepimus, frequentiſſimas eo tempore per civitates, ac vicos Eccleſias extitiſſe.

XXIX. Litem vero definire videtur Clemens (138) Romanorum Epiſcopus, ubi ait: Κατὰ χώρας (139), καὶ πόλεις κηρύσσοντες καθίσταναν τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν: *Per vicos & urbes praedicantes conſtituerunt primitias eorum, cum probaſſent in ſpiritu, in Epiſcopos,*

cant. Ipſiſſimum habet Athan. Apolog. 2.

(135) Ad illa Pauli verba Ep. ad Epheſ. c. 4. v. 11. τοὺς μὲν ἀποστόλους, τοὺς δὲ προφήτας, τοὺς δὲ εὐαγγελιστὰς, τοὺς δὲ ποιμένας, καὶ διδασκάλους: *Alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, alios Evangeliſtas, alios vero Paſtores, ac Doctores*.

(136) Act. Apoſt. c. 14. v. 22.

(137) Vide ſupra § XXII.

(138) I. ad Corinth. c. 42.

(139) Χώρας *vicos* eſſe, non *regiones*, praeter ea, quae ſupra protulimus not. 97. ultro per ſe heic fatetur Boehmerus: quippe certas Eccleſias innuit Clemens, quibus Epiſcopos, ac Diaconos praefeciſſe ait Apoſtolos: at quae ſint *Regionum Eccleſiae* non video, niſi illis verbis μητροπολίτας ſubſidere exiſtimes.

ſcopos, *&* *Diaconos eorum*, *qui credituri erant*. Quo ſane loco nihil pro Paſtorum in vicis antiquitate ne excogitari quidem poterat accommodatius: ejus tamen ſententiae vis, quoniam contrariae opinionis fautores nimis urget, ne quid dicendum ſuperſit, preſſius inveſtiganda.

XXX. Quippe ut argumenti vim eludant Boehmerus, Blondellus, & contra Petavium pſeudo-Meſſalinus (140) Clementinos hoſce veri nominis Epiſcopos, non autem Presbyteros eſſe contendunt: nempe viros κριτικοτάτους ſpecioſum illud decipit τῶν Ἐπισκόπων nomen. At ſi primi ordinis Praeſules heic intelligas, age, ubi exſulant Presbyteri? anne Epiſcopos tantum, & Diaconos urbibus, ac vicis adſignatos dicas? Atqui ſcimus ab ipſis rei Chriſtianae primordiis tres in Eccleſia ordines fuiſſe (141). Meminerint vero ſcientiſſimi Eccleſiaſticarum Antiquitatum viri, ſecundi ordinis Presbyteros, primo praeſertim, atque altero Eccleſiae ſaeculo, nomine tenus ἐπισκόπους quoque dictos (142); quo quidem

(140) Boehm. de Chriſtian. Coet. in vicis, & agris; ad jus Paroch. & paſſim alibi; David Blondellus de Epiſcopis, & Presbyteris, Salmaſius de Primatu Papae, & de Epiſcopis. His adſtipulantur Dallaeus de Scriptis Dionyſ. & Ignat. Buddeus de Orig. & Poteſt. Epiſcopor. Pfaffius, Drejerus, ceteri denique Presbyterianae factionis fautores. Sed contra hos facto veluti agmine irruunt Morinus, Pearſonius, Beveregius, Bellarminus, Petavius, Hammondus, Dodwellus, aliique.

(141) Tres hominum ordines in Eccleſia recenſet Euſeb. Demonſtrat. Evangel. lib. 7. c. 11. p. 323. κατηχουμένους, πιστοὺς, ἡγουμένους: ἡγουμένων vero adhuc tres ordines olim fuiſſe monitore non eget. Satis ſit Ignatii verba loco omnium afferre ad Magneſ. n. 6. προκαθημένου τοῦ ἐπισκόπου εἰς τόπον θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν διακόνων τῶν ἐμοὶ γλυκυτάτων, πεπιστευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ: *Epiſcopo praeſidente Dei loco*, *&* *Presbyteris loco Senatus Apoſtolici*, *&* *diaconis mihi ſuaviſſimis*, *quibus commiſſum eſt miniſterium Ieſu Chriſti*. Ad quae vide Pearſonium, Cotelerium, Vſſerium.

(142) Sane Paulus Epiſtolam ad Philippenſes ſcripſit συνεπισκόποις, καὶ διακόνοις *Sacerdotibus*, *&* *Diaconis*, niſi plures uni Eccleſiae Epiſco-

dem vocabulo eos heic nominare (143) voluit Clemens.

XXXI. Adhaec dum illi alia omnia ſentiunt, profecto Chriſtianam rem ſuſque deque vertunt. Vt enim Sardicenſem Canonem (144) mittam, quo Epiſcopum ἐν κώμῃ τινὶ, ἢ βραχείᾳ πόλει, *in vico aliquo, vel parva ur-*

ſcopos obtrudere velis. Ad quem locum diſerte Chryſoſtomus: οἱ πρεσβύτεροι τὸ παλαιὸν ἐκαλοῦντο ἐπίσκοποι: *Antiquitus Presbyteri vocabantur Epiſcopi*. Et Theodor. ἐπισκόπους δὲ τοὺς πρεσβυτέρους καλεῖ: ἀμφότερα γὰρ εἶχον κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν καιρὸν τὰ ὀνόματα: *Epiſcopos appellat Presbyteros: utrumque enim nomen habebant eo tempore*. In eamdem ſententiam loquuntur Theophilactus, & Œcumenius. Et Paulus ad Tit. c. 1. v. 5. *Presbyteros* dicit, quos v. 7. & 9. vocat *Epiſcopos*; adeo verum eſt Presbyteros Epiſcoporum etiam nomine deſignatos. Sed & φιλοπατρίας ergo adnotare libet, S. Aſpremum, quo primum tempore Neapolitanis Neophytis praefectus eſt, vix Presbyterum fuiſſe, uti monet Mazoch. de Cult. SS. Neap. p. 3. c. 1. p. 197. & tamen in ejus Actis *Epiſcopus* dicitur. Anthimus etiam Martyr Presbyter traducitur, ſed Kalendarium Neapolitanum *Epiſcopum* nominat poſtridie Nonas Iunias: vide ibi Mazochium.

(143) Diu equidem haerendum non eſt, cur heic ἐπισκόπους potius, quam πρεσβυτέρους dixerit Clemens. Scimus enim Sacerdotes pro variis officii ſui partibus, diverſis etiam nominibus indigitatos; πρεσβυτέρους quidem ab aetate, ἡγουμένους, καὶ ποιμένας a ducendo, προεστῶτας, προστάτας, προέδρους a praeſidendo, ἱεράρχας a ſacrorum principatu, διδασκάλους a docendi munere, Οἰκονόμους a cura, Διακόνους a miniſterio, ἐφόρους denique καὶ ἐπισκόπους ab inſpiciendo. Heic vero quum de Presbyteris ſermo eſſet, qui pagorum curae praeeſſent, vocabulo magis proprio ἐπισκόπους maluit, quam πρεσβυτέρους nuncupare, quaſi conſtitutos diceret ἐπισκόπους, καὶ διακόνους, *Inſpectores, eorumque Miniſtros*. Ceterum quum illud Clementi conſilium inſediſſet, ut vicorum, urbiumque praeſides uno nomine deſignaret, neceſſe habuit, unum aliquod vocabulum ſubnectere, quod cum utriſque, potiſſimum vero cum vicinioribus apte cohaereret.

[144] Nec eſt, quod quarto demum ſaeculo id lege cautum dicas: quas enim Canonis rationes afferunt Sardicenſes Patres, eas profecto ſuperioribus etiam ſaeculis convenire conſideranti patet. Nam afferunt: καὶ εἷς μόνος πρεσβύτερος ἐπαρκεῖ, *vel unus Presbyter ſufficit*. Cui enim bono Epiſcopum ei loco praeficere, cui vel unius Presbyteri opera ſatis ſit? Praeterea μὴ κατευτελίζεται τὸ τοῦ ἐπισκόπου ὄνομα, καὶ ἡ αὐθεντία, *ne vileſcat nomen Epiſcopi, & auctoritas*; quibus certe vel in ipſa Eccleſiae infantia ſedulo cavendum erat. Accedit, quod Dioeceſes non ſolis urbis moenibus, ſed & circumjectis ſuburbiis coaleſcebant. Itaque ſi ſuos vicis adſignes Epiſcopos,

urbe conſtituere non licuit, quem latet Eccleſiam ad civilis πολιτείας normam & ſuam compoſuiſſe (145), ut ibi Epiſcopos aſſignarit, ubi civiles invenerit Magiſtratus? At quae ſunt haec aegrorum ſomnia, ut pagorum magiſtros (146) urbium praeſidibus poteſtate pares adſerant? Itaque, ſicuti vicorum praepoſitos urbicis Magiſtratibus ſubditos fuiſſe ſcimus; ita minores Presbyteros, niſi Antiquitate reclamante, pagis denegare non poterunt: paria quippe utrobique ſunt omnia (147).

XXXII.

pos, jam plures una in Dioeceſi Epiſcopos habebis; quod Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac ſanctiſſimis Eccleſiae comitiis adverſatur.

(145) Nempe id adeo verum eſt, ut ſi quid olim, pro eo ac fieri ſolet, de Civili πολιτείᾳ immutaretur, ejus veſtigia continuo & ipſa premeret Eccleſia. Habes hinc oppoſitos Dioeceſium Vicariis Patriarchas, Provinciarum Praetoribus Metropolitas, Vrbium Magiſtratibus Epiſcopos, adeoque Vicomagiſtris paganos Presbyteros.

[146] Scilicet ab ipſo Romae exordio urbana gens ex intervallo, ſive ut civilibus ſeſe ſubduceret tumultibus, ſive ut agrorum cultui otioſius vacaret, finitimos Vrbi campos incolere coepit. Hinc viſum eſt Numae, teſte Dionyſio, ac Plutarcho, ſuburbanum territorium in pagos, vicoſque diſpertiri, eiſque praeſides aſſignare, quos Dionyſius ἄρχοντας, Sabinus apud Euſebium κατ' ἀγροὺς ἐπιτεταγμένους *pagis praepoſitos*, Iuſtinianus παγάρχους, alii *praefectos*, marmora ſaepius *vicorum*, aut *pagorum magiſtros* nuncupant. Compagis vero ſollemnis ea erat regiminis forma, ut ſua haberent ſeorſum conventicula, univerſi tamen Vrbano Magiſtratui ſubeſſent. Videndus de Pago Herculaneo Mazoch. Amphith.Camp. c.8. p. 148. & in Tabb. Heracll.p. 399. Adhaec Bimardus Diſſ.I.apud Murat. Inſcriptt. tom. I. p.18. & ſeq.

[147] Atque id adeo certum eſt, ut inde Thomaſſinus ſuam ſententiam ſolide tueri poſſe exiſtimet De Antiq. & Nov. Eccl. Diſcipl. p. 1. lib. 2. c. 22. n. 10. quippe cum Ethnicos aras in vicis, pagiſque nuſquam habuiſſe cenſeat, hinc prono alveo fluere contendit, Chriſtianos Ethnicorum σύστημα adamuſſim ſecutos paganis quoque Eccleſiis caruiſſe. Verum tuo te jugulas gladio, mi Thomaſſine: nam aras in pagis heterodoxae gentes habuere; adeoque vel nolens vicanas Eccleſias ultro fateris. Dionyſ. lib. 4. De Servii Tullii inſtituto: *Vt etiam ruſticanae multitudinis facilius iniri poſſet numerus, per ſingulos pagos aras juſſit dedicari Diis tutelaribus, quotanniſque ibi conventum fieri, & ſacrificium (Feſtum hoc. . . vocatum Paganalia), ſimulque eorum Sacrorum ritus, qui nunc quoque ſervantur, deſcripſit. Ad id ſacrificium, eum-*

que

XXXII. De Apoſtolico tandem aevo poſtremus fidem faciat, qui & primas hac in ſcena egit Euſebius. (148) Hic de Ioanne: Παρακαλούμενος καὶ ἐπὶ τὰ πλησιόχωρα τῶν ἐθνῶν, ὅπου μὲν ἐπισκόπους καταστήσων, ὅπου δὲ ὅλας ἐκκλησίας ἁρμόσων, ὅπου δὲ κλήρῳ ἕνα γέ τινα κληρώσων τῶν ὑπὸ τοῦ πνεύματος σημαινομένων: *Rogatus ad finitimas quoque provincias ſe contulit, partim ut Epiſcopos conſtitueret, partim ut Eccleſias integras diſponeret, ac formaret, partim ut unum aliquem eligeret, atque ordinaret ex iis, qui a Spiritu Sancto ipſis monſtrati eſſent.* Dignus ſane vindice nodus, quique interpretes ad multam diem exercuit. Cui enim bono, conſtitutis Epiſcopis, adhuc unum aliquem per Eccleſias elegiſſe fertur Ioannes? Eas vero ambages, ne alienis plumis indutus videar, acute quidem, at feliciter expedit Salmaſius (149). Nimi-

que conventum omnes paganos juſſit in ſingula capita conferre certum numiſmatis genus. Hinc Ovid. I. Faſt. v.669. *Pagus agat Feſtum; pagum luſtrate coloni; Et date paganis annua liba focis.* Sane *Bonam Deam Paganam* habet Don.IV.23. Murat.133.3. Gud.54.4. Phil. a Turre Hiſt.Aquil.p.309. *Iovem Paganicum* Murat. 138. 3. 1098. 5. Mazoch. ad Amph. Campan. p. 148. in Pago Herculaneo. Grut. 21. 11. *Farratium Deum Paganicum* Grut. 1007. 7. Gud. 11.5. *Venerem Ioviam* in Pago Iovo Grut. 59.8. *Iunonem Pagi Fortunenſis* Murat. 15.6. *Genium Vicanum* Murat. 79.7. ut & *Genium Pagi Livi* Murat. 77. 16. *Pag. Aug.* Grut. 1075. 14. *Pagi Tig.*111.14. Denique *Deos Paganos* Gor.tom.2.Inſcr. Hetruſc. p. 343. & *Deos vicorum* Arnob.adverſ. Gent. lib. 3. Immo & per agros ſuis Diis aras poſuiſſe, teſtantur *Ruſtici Dii* apud Tertull. Apol. c. 10. & *Ruſtica Sacrificia* apud Plin. Praef.ad Veſpaſ. Cic. de Legibus lib. 2. c. 8. legem habet: *Lucos in agris habento, & Larum ſedes.* Et Cenſor. de Die Nat. c.1. *Cum agros, atque urbes Deorum munere poſſiderent, partem quamdam templis, ſacelliſque, ubi eos colerent, dicaverunt.* Hinc non raro habent marmora *Deos Campeſtres Sylvanum Agreſtem, Herculem Ruſticum, Lunam Campeſtrem, Nemeſim Campeſtrem, Genium Arvorum,* atque alia. Abaſcantus quoque villicus *Spei Sacrae* aram dedicavit apud Paſſion. Claſ.1. 18. p.7. quippe *Spes alit agricolas.* I nunc, Thomaſſine, & pagis aras, ſi potes, denega.

[148] Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 23.

[149] De Epiſc. pag. 225.

mirum Apostolus, qui in id unice adlaborabat, ne quid Ecclesiae commodis deesset, cum Vrbes Praesulibus ornasset, ceteris denique Ecclesiarum partibus pro virili consuluisset, ne qui a principe urbe aberant, errorum incursibus impune caput offerrent, unum aliquem secernendum existimavit, cui & hanc vicani gregis partem committeret (150).

XXXIII.

[150] Hinc vero facultas mihi praebetur repellendi alterum Thomassini objectum, qui quidem in eo triumphat, quod Apostolorum Canones uni Episcopo commissum Dioecesium gregem clament, praeterea nemini; atque adeo Clericorum centuriis deturbandum Presbyterum, qui *καταφρονήσας τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, χωρὶς συναγάγῃ, καὶ θυσιαστήριον ἕτερον πήξῃ*, *contempto suo Episcopo, seorsum conventiculum habeat, & aliud altare erigat*. Nimirum quo non deducit partium studium! quasi Episcopum contemnant vicani Presbyteri, quos Episcopus ipse in sui regiminis societatem ultro adsciscit, quibusque custodiendum gregem transmittit; adeoque tantum abest, ut quidquam praeter ejus sententiam peragant, ut potius gravissimo pastoralis sollicitudinis oneri levando ei operam suam commodent. At vero, mi Thomassine, quoniam paganas Ecclesias Apostolorum Canonibus adversari existimas, quid est, quod quarto demum saeculo excitatas tute ipse non deneges? Anne data Ecclesiae pace licuit vel sanctiores Apostolorum Canones teruncii facere? immo vero telum in tuum caput unice caducum retorquere possum; quippe quos profers Canones probandis *παροικίαις* veluti nati videntur. Scimus enim Ecclesiae sanctiones, praeterquam ubi oblata aliqua exhortaretur occasio, numquam promulgatas. At, quaeso, quid ab urbanis Presbyteris timendum erat, ut eorum ergo latos hos Canones dicas? Itaque vicanos potius respexisse videntur, qui ab Episcopo procul, pagisque praepositi, timeri certe poterat, ne vicaria in speciem auctoritate, sensim Episcopi ditioni sese subducerent, paganasque Ecclesias sibi prorsus vindicarent; adeoque monendi erant, poenis insuper coërcendi, ne quid tale tentarent. Ad rem Hieronymus a Costa Des Revenus Ecclesiastiques pag. 26. *Mais lorsqu' il fut necessaire d'augmenter le nombre des Eglises, il y eut sujet de craindre, que ceux qui gouverneroient ces nouvelles Eglises ne s'attribuassent la qualitè d' Evêques se voyant à la tête de quelques Eglises particulieres. Il falut pour cela ordonner, qu' il n' y auroit, qu' un Evêque dans chaque ville, du quel dèpendroient les Prêtres, à qui l'on commettroit le gouvernement des nouvelles Eglises, qui dans la suite furent nommèes Titres*. Itaque nisi innumera aliunde suppeterent pro vicanis Ecclesiis argumenta, ex hoc ipso Apostolorum Canone id perbelle deduci posset.

XXXIII. Alterum Ecclesiae saeculum binis testibus absolvam. Primus est Iustinus Martyr (151): Τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις, ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ (152) συνέλευσις γίνεται: *Solis qui dicitur die, omnium sive in urbibus, sive in agris manentium in eumdem locum conventus fit*. Tum singulas προεστῶτος partes disertis verbis persequitur; quem de industria Episcopum, aut Presbyterum dicere noluit, sed προεστῶτα *Praesidentem*, communi scilicet urbanis, paganisque Praefectis vocabulo nuncupavit.

(151) Apol. II. ad Antoninum Pium.

(152) Cave illud ἐπὶ τὸ αὐτὸ ita accipias, quasi ex omnibus pagis Solis die Vrbem convenisse credas; quippe & illa confluentium unda cuique sermonem dedisset, & hebdomadae spatium iis, qui longius aberant, vix ad itum reditumque sat fuisset. Omnes igitur stato die eodem in loco aderant, sed ita quidem ut Vrbani in Vrbe, vicani in pagis, suam quisque in Ecclesiam conveniret. At quoniam huc delapsus sum, ipsa hortatur res, ut injectum Boehmeri animo scrupulum mihi valde importunum evellam. Multo enim sermone in eo totus est, ut villaticas, urbicasque Paroecias sine templis nullatenus subsistere posse adfirmet: eo fit, ut cum templa ad quartum rejiciat saeculum, inde etiam Paroecias deducat. Ei autem ut faciam satis, possem templorum originem paullo altius derivare: nam praeter ea, quae Binghamus, Scheltratenus, Medus, Tillemontius, Beveregius, Ciampinius, aliique corraserunt; textus ferme decem ex Patribus Apostolicis, qui ceteros, quod sciam, hactenus effugerunt, in forulis habeo, qui quidem Christianas ante Constantinum Ecclesias necessario evincunt. Sed Boehmero id demus, templa supparem Constantino aetatem ferre; at Paroecias saltim paganas adhuc natu majores adfirmo. Anne credet, vicorum stare non posse Ecclesias, nisi magnificae extruantur Basilicae, ac tanta illis undeunde comparentur ornamenta, quantis Augustorum pietas eas porro auxit? Immo vero sat est, ut νεοπίστοι quantum per temporis, nummorumque angustias liceat, possint ex intervallo convenire, ac Presbytero praeeunte, sacras Synaxes agere: id vero domine fiat, an in templo, an denique alibi, profecto parum interest: Ecclesia enim ipsi homines sunt. Apposite Dionysius apud Euseb. lib. 7. cap. 22.: καὶ πᾶς ὁ τῆς καθ' ἕκαστον θλίψεως τόπος, πανηγυρικὸν ἡμῖν γέγονε χωρίον. ἀγρὸς, ἐρημία, ναῦς, πανδοχεῖον δεσμωτήριον: *Quivis denique locus, in quo varias aerumnas sigillatim pertulimus, ager, inquam, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi ad sacros conventus peragendos fuit.*

XXXIV. Adde quae de Montano refert Eusebius, quem in vico Hardaba (153) ex νεοπίστων *recens baptizatorum* numero ἐν ἐπιθυμίᾳ ψυχῆς ἀμέτρῳ φιλοπρωτείας *immodica primi loci cupiditate captum* ait. Habes heic in vico *recens baptizatos*; habes qui primum inter eos locum tenet: eum vero Presbyterum fuisse ipsa suadet ratio: ecquem enim, nisi Sacris initiatum νεοπίστοις praefuisse dicas?

XXXV. Tertio demum Christiano saeculo multo plures se nobis dant vicanae Ecclesiae, cum nullae prorsus essent pagorum latebrae, quas Evangelii lux non pervasisset: tum multo frequentiores, qui Ecclesiae Fastos tenebris inviderint. Ecce autem Epiphanium (154), qui de medio tertio saeculo in haec verba loquitur: Ἀναχωρήσας δὲ ἔρχεται εἰς κώμην τινὰ τῆς Καρχάρων εἰς Διοδωρίδα καλουμένην, ἐν ᾗ Τρύφων τις ἐπιεικέστατος κατ' ἐκεῖνο καιροῦ ἐτύγχανε τῶν αὐθότι πρεσβύτερος: *Inde discedens Diodoridem [pagus is est in Carcharis] se contulit: ubi Tryphon quidam erat, vir optimus, ac tum loci illius Presbyter*. Profecto unus hic Diodoridis Praefectus liti finem prorsus ponere potest.

XXXVI.

fuit. Sive itaque ὑπερῷα, ac domesticas Proseuchas [quae quidem sunt Divi Pauli κατ' οἶκον Ecclesiae] Iudaeorum more Christianos usurpasse dicas; sive certas aedes divino cultui unice addictas; sive Martyrum Sepulchra, Coemeteria, Cryptas; sive denique quidquid aliud; illud vero verius est, suos identidem conventus celebrasse, quibus & sacra facerent, & Ecclesiae commodis pro re nata prospicerent. Fateor tamen primaevas illas Christianorum Ecclesias simplicitatem prorsus redoluisse; eoque nomine *Casas*, *Columbae domus*, numquam vero *Templa*, *Basilicas*, ἀνάκτορα dictas. Atque hoc quidem in caussa est, cur apud Minutium Felicem, Origenem, Arnobium, Lactantium Christiani Ecclesias non habere dicantur. Nec certe praetereundum, quod Blondellus observat, quo semel Fideles convenerant, Ecclesiarum porro nomine designasse.

(153) Hist. lib.5. c.16.
(154) Haeres.66. n.11.

XXXVI. At omnium, quotquot afferri possunt, luculentissimus, meo quidem judicio, est Dionysii Alexandrini (155) locus, in quo suum Colluthionem usque exilium referens, optime secum actum existimabat, quod locum illum Alexandria non multum abesse sciret; quippe fratrum adspectu crebrius frui posse sperabat: Ἀφίξονται γὰρ, καὶ ἀναπαύσονται, καὶ ὡς ἐν προαστείοις πορρωτέρω κειμένοις κατὰ μέρος ἔσονται συναγωγαί: *Accedent enim, & ibi commorabuntur, & tamquam in suburbiis remotioribus, particulares illic erunt conventus*. Hinc facile per se quisque intelligit, paganis, quos locorum distantia urbanis conventibus stato die adesse non patiebatur, sua domi, quibus facile interessent, comitia habere licuisse, ut remotioribus saltim vicis suas denegare non possis Ecclesias. Praetereo heic ejusdem Dionysii (156) τοὺς πρεσβυτέρους, καὶ διδασκάλους τῶν ἐν ταῖς κώμαις ἀδελφῶν, *Presbyteros, & Doctores destinatos fratribus per singulos vicos*. Praetereo Anthimum, ac Maximum Chorepiscopos sub Diocletiano, de quibus vide infra [157]. Praetereo compluscula veterum in eamdem sententiam testimonia, a quibus adducendis commentarioli me brevitas prohibet. Denique (158), caussa hac perorata, ne de sen-

(155) Apud Euseb. lib.7. c.11.

(156) Apud Euseb. lib.7. c.24. Fortasse respexit Apostoli ποίμενας, καὶ διδασκάλους h. e. Theodoreto interprete, τοὺς κατὰ πόλιν, καὶ κώμην ἀφορισμένους, *destinatos per urbes, ac vicos*.

(157) Nempe ex eorum Actis id apertissime deducitur: *Anthimus autem Presbyter non longe ab Vrbe Roma milliario vigesimo secundo in via Salaria circa Piniani praedia latitabat*; eoque in loco rusticos Sylvano suo sacrificasse ait . . . . . *Cum autem mane facto viderent Gentiles Christianos more solito venientes ad eum*: vides hinc rusticos hosce penes Anthimi Proseucham convenisse; eoque occiso, Proconsuli ajebant: *quid prodest quod Anthimum occidisti? ecce Maximus amicus ejus ampliorem populum ad se invitat*: en diserta coetuum Christianorum mentio apud Anthimum primo, dein apud Maximum. Vide Mazoch. ad Kalend. Marm. Neap. tom. 2. pag.523.

(158) Ex iis, quae hactenus cor-

ſententia provocare audeant adverſarii, ac Neophyto iterum actionem intendere, uti eum inter ſpurios obtorto collo detrudant; par eſſet, ut accuſatorum calumnias omni ex parte diluerem. Sed ab iis de induſtria ſuperſedeo: quippe ea ſunt, quae aut mole ruant ſua, aut certe ex his, quae ſupra adduximus, quiſque per ſe facile reſpondere iis poſſit.

XXXVII. Atque haec hactenus: non enim de Paroeciis Diatribam adtexere heic in animo fuit, ſed de Vicanis Eccleſiis vix ea ſummis labiis delibare, quae marmori illuſtrando ſat eſſent: praeſertim cum de Paroeciarum Origine Poſii Brancacianae Eccleſiae Praefecti Hiſtoriam res litterarum publica ſollicite praeſtoletur; qui utinam fidem ſuam liberet, ac cimelium illud Eccleſiaſticae rei ſtudioſis diutius non invideat: qua enim plurimum valet ſacrae Philologiae ſcientia, ac Critices arte, merito publicam privatamque omnium exſpectationem concitavit.

corraſi patet, Neophytum noſtrum merum Chorepiſcopum fuiſſe. Nullus enim dubito, quidquid alii ſentiant, Chorepiſcopos ab Apoſtolicis inde ductos temporibus veri nominis Presbyteros fuiſſe. Sed ea de re, ne longius ab inſtituto peregrinari videar, aliis, quibus id volupe fuerit, lampadem trado.

V. 3. & feqq. ΠΡο μιαC ΚΑΛανδων μαρΤΙΩΝ
υπατοιC Κ. ΒΡουττιω ΠΡΑΙCεντι τιΤΩ
ΜΕCτιο εξΤRΙΚΑΤΩ Β. . Α.
(*fortaſſe heic etiam*
Chriſti Mono-
gramma)
ω.

XXXVIII. Poſtrema haec marmoris verba ita vel meo periculo conſtitue: id enim linearum proportio ſuadet, ac ſollemnis lapidum φρασεολογία. Atque ultimus hic quidem meae fabulae actus ceteris multo brevior erit; quippe luculentior eſt, quam ut commentantis operam requirat. Vt enim τὸ πρὸ [159] praeteream., vix illud obſervatu dignum occurrit, natalem noſtri marmoris diem fuiſſe pridie Kalendas Martias anno CCXVII. quo quidem anno C. Bruttius Praeſens, ac Titus Meſſius Extricatus II. Conſulatum geſſerunt: is vero annus ipſiſſimus eſt ab V. C. DCCCCLXX. Caracalla Auguſto

(159) Heic ἐν παρέργῳ advertendum τὸ πρὸ, ubi de Kalendis agitur, non ante, ſed ipſiſſimum deſcriptum diem ſignificare. Ita dum Plut. De Romulo, Romam conditam ait πρὸ ἕνδεκα Καλανδῶν Μαΐων, perinde eſt, atque *Vndecimo Kalendas Majas*; licet Lappo placuerit *ad XII. Kal. Majas* vertere. Sane πρὸ δέκα Καλανδῶν Ἰουλίων (quo die prima Epheſinae Synodi actio celebrata fertur) vetus interpres *Decimo Kalendas Iulias* reddit; ut πρὸ ὀκτὼ Ἰδῶν Ὀκτωβρίων de Chalcedonenſi vertit: *Octavo Idus Octobres*. Idipſum de Latino *ante* dicas. Sic, ut cetera mittam, orationem, quam Cicero Philip. VI. recitaſſe ait *XIII. Kal. Ian.* & lib. 10. Fam. *Ad XIII. Kal. Ian.* eamdem Philip. V. & XVI. *Ante diem XIII. Kal. Ian.* habuiſſe refert. Sit inſtar omnium ejuſdem Ciceronis locus lib. XVI. Fam. Ep. 5. ad Tironem: *Nos apud Alyziam, ex quo loco tibi litteras ante dederamus, unum diem commorati ſumus, quod Quintus nos conſecutus non erat: is dies fuit Nonis Novembris. Inde ante lucem proficiſcentes, ante diem octavum Idus Novembris has litteras dedimus.*

ſto, ac Zephyrino Romanae ſedis Epiſcopo. Ita Gruterus pag. 300. C. BRVTTIO PRAESENTE TITO MESSIO EXTRICATO II COS. P.R.C.DCCCCLXX.

XXXIX. Conſulum alterum Metium appellat Pagius [160], non Meſſium. Adhaec Extricatum haud appoſito numero II habent Faſti Conſulares Anonymi; cui amice conſpirant Idatiani, Tyronis Proſperi Chronicon, Aegidius Bucherius, Panvinius, Leunclavius, Noriſius, Goltzius, atque alii. Malui tamen ad Gruteriani marmoris fidem altero hoc honore Extricatum non defraudare. Nec eſt, quod primum ejus Conſulatum in Faſtis non occurrere regerant: ecquem enim latet integrum Conſulum conſpectum noſtra hac aetate adhuc deſiderari? Sic Q. Aemilius Papa An. V. C. 476. C. Valerius Aſiaticus 799. C. Allius Tuſcianus 941. P. Cornelius Anullinus 952. ſexcenti denique II. Conſules occurrunt, de quorum primo Conſulatu volam, aut veſtigium penes Auctores minime deprehendas.

XXXX. Atque haec habui, quae de MVTILO NEOPHYTI PRESBYTERI TITVLO inter ſeveriorum curarum laxamenta tumultuarie corraderem. Quippe, quae meae ſunt apud hoſce Regios Ephebos partes, ita ſemper aliud ex alio praeter exſpectationem intervenit, ut vix ſubſecivae ſuperſint horae, quibus me mihi ſurripere, atque in amoeniori Muſarum domicilio ex intervallo otiari liceat. Vtinam Eccleſiaſticae Philologiae ſtudioſi, in quorum gratiam haec publici juris feci, lubenter excipiant, & ſi qua forte exciderint, aequo animo patiantur. Quidni? *Davus ſum, non Oedipus*.

F I N I S.

Admo-

(160) Diſſ. Hypat. p.226. part. 2. c. 12.

Admodum Rev. V. J. D. D. Benedictus Cervone in hac Regia Studiorum Vniversitate Professor revideat, & in scriptis referat. Datum Neapoli die 24. mensis Ianuarii 1770.

NICOLAVS DE ROSA EP.PVTEOL. CAP.MAI.

S. R. M.

DIatribam, cui titulus: *In Mutilum Neophyti Presbyteri Titulum Commentarius*, gravissimo imperio Tuo ut facerem satis, voluptate quanta maxima legi; nec sane potui, quin Neapolitanae Vrbi etiam atque etiam gratularer, quod Ecclesiasticae Philologiae studia heic nostra aetate tam bene florescant. Ex Graeco enim, Latinoque fonte eruditissimus Auctor uberrimam Christianae Antiquitatis penum depromit, quo non minus *Vicanarum Ecclesiarum* antiquitati, quam suae porro existimationi consulit. Tantum itaque cimelium Ecclesiasticae rei studiosis diutius non invidendum existimo; eo vel maxime, quod nihil Regiis Iuribus absonum legenti occurrerit; dummodo tamen meae opinioni gravissimum judicium Tuum conspiret. Neapoli IV. Kal. Febr. CIƆIƆCCLXX.

Majestati Tuae

Addictiss. Obsequentiss.
Benedictus Cervone.

Die 21. mensis Februarii 1770. Neapoli.

Viso Rescripto Suae Regalis Majestatis sub die 16. currentis mensis, & anni, ac relatione Rev. D. Benedicti Cervone, de commissione Rev. Regii Cappellani Majoris ordine praefatae Regalis Majestatis.

Regalis Camera Sanctae Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma praesentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Rev. Revisoris. Verum in publicatione servetur Regia Pragmatica; hoc suum.

GAETA. VARGAS. SALOMONI. PAOLETTI.

Vidit Fiscus Reg. Cor.

Spectabilis Praeses tempore subscriptionis impeditus; Ill. DE FIORI *non interfuit.*

Registr. fol.
Carulli.

Athanasius.

Admo-

Adm. Rev. Dominus D. Salvator Aula S. Th. P. & Herculanenſis Academiae Socius revideat, & in ſcriptis referat. Datum die 11. Ian. 1770.

F. X. EPISC. VENAFRAN. VIC. GEN.

IOSEPH SPARANVS CAN. DEP.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

Libellum ita inſcriptum: *In Mutilum Neophyti Presbyteri Titulum Commentarius*, juſſu Em. T. perlegi; iſque nulla ex parte mihi non ſe probavit. Ingentem enim prae ſe fert qua ſacrae, qua profanae Eruditionis ſegetem; egregiam tum in quovis veterum inſtitutorum genere perſequendo, tum praecipue in re Eccleſiaſtica rimanda, atque illuſtranda dexteritatem; omnia autem ad minime vulgaris Litteraturae trutinam perpenſa, atque exacta. Itaque exiguo licet in ambitu, mirifice tamen Auctoris induſtria, & doctrina, qua ſe dat via, prodit, & ſpatiatur. Cum vero nihil occurrerit, quod vel Catholicae Fidei, vel morum probitati adverſetur, perbene factum cenſeo, ſi ejuſmodi opuſculum, modo ſumma Em. T. Auctoritas annuerit, quamprimum publici juris fiat. Neapoli XIV. Kal. Mart. A. CIƆIƆCCLXX.

E. T.

Addictiſs. Obſequentiſs. atque Obſtrictiſs.
Salvator Aula.

Attentâ relatione Domini Reviſoris, imprimatur. Datum die 19. Februarii 1770.

F. X. EPISC. VENAFRAN. VIC. GEN.

IOSEPH SPARANVS CAN. DEP.

Ne graveris, humane Lector, pag. 38. not. 245. ver. 3. pro πολετείᾳ legere πολιτείᾳ: a qua quidem labecula Typographum cetera diligentiſſimum lubenter abſolves.